



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio V. Ad Titulum V. de Conditionibus apposis in desponsatione, vel
aliis contractibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

QUÆSTIO V.

Ad Titulum V. de Conditionibus apposis in desponfatione, vel aliis contractibus.

760. **C**um contingat non modò desponfationes, sed alios etiam contractus celebrari adjectis quibusdam modificationibus eorum, per modum conditionis, cause, demonstrationis, vel modi, seu oneris & gravaminis ex pacto præstandi, ac exinde, juxta diversitatem adjectarum qualitarum, & modificationum, tam in desponfationibus, quàm aliis contractibus, & desponfationibus, diversi effectus nascantur: ideo subjungitur hic titulus, de conditionibus apposis, seu adjectis desponfationi, vel aliis contractibus. Nam de illis agemus in 1. de reliquis in 2. parte hujus Tituli.

PARS I.

De Conditionibus apposis in desponfationibus.

761. Ante omnia supponendum, in omni desponfatione, vel contractu sub conditione celebrato, ubi quæstio est, quo animo qualitas contractui adjecta sit? in foro poli, seu conscientia, standum esse intentioni contrahentium, qualiscunque qualitas, aut conditio sit, quæ apposita fuit. Hinc si contrahens noluit inire contractum, nisi posito conditionis eventu, non erit contractus in foro poli, & coram DEO ante illius eventum. Quia tamen sæpè non constat, quo animo contrahentes ejusmodi qualitates apposuerint, ac obinde multiplices lites oriuntur in foro externo, standum erit desponfationi Legum, vel Canonum, pro qualitate materiae, illius fori Judicibus subjectæ. An autem in hoc secundo casu (quo de intentione desponentium, aut contrahentium non constat) idem in foro interno, seu conscientia, dicendum sit, quod in foro fori, seu externo? dubitari potest. Sed Resp. affir-

Tom. IV.

mative; quia idem in utroque foro servandum est, quando forum externum non innititur falsæ præsumptioni, nec damnat in pœnam, quæ Judicis sententiam desiderat, ut docet Sotus lib. 4. de Just. q. 5. a. 3. Covar. in c. Cum esses, de Testam. num. 7. quos citat, & sequitur Sanchez. lib. 1. hic d. 5. num. 20. nam legem justam, etiam in foro conscientia, ratò quis sequitur, cum sacri Canones in tali casu nihil contra conscientiam doceant, his præmissis:

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit conditio?

Supponendum 1. conditionem sumi 762. late, ac strictè. Late sumpta stat pro qualibet qualitate, desponfationi, vel contractui apposita, à qua pendet, aut pendere præsumitur consensus desponentis, aut contrahentis, sive sit de præsentis, præterito vel futuro. 2. strictè, ac propriè; cum aliquid adjicitur, suspendens desponfationem, vel contractum, sub cujus existentia, & non aliàs, volumus desponfationem nostram valere, aut contractum celebrari; ita Sanchez. lib. 5. hic D. 1. num. 2. nam, ut idem rectè notat, de natura conditionis propriè dictæ, est, suspendere, ac facere, ut actus possit se habere ad esse vel non esse, juxta L. si ita. ff. de verb. obligat.

Supponendum 2. condiciones quasdam esse generales, sic dictas, quòd tacitè insint cuilibet desponfationi, vel contractui, licet non exprimentur v. g. ducam te, se vixero; alias speciales, quæ in certis tantum, non autem in omni desponfatione, vel contractu subintelliguntur: v. g. in matrimonio: si non sumus impediti impedimento Canonico &c. Ex specialibus autem conditionibus aliæ dicuntur intrinsecæ, quæ insunt necessariò, seu ex natura rei, non

Bb 2

non

non autem ex voluntate disponentis, aut contrahentis; ut, si alicui legeretur partus ancillæ vel fructus fundi nondum editus, subintelligitur enim, *si partus edatur, vel fructus nascantur*. L. Quod in rerum. 24. ff. de Legat. 1. L. Interdum. 33. ff. de V. O. L. Nec emptio. 8. ff. de Contrahend. empt. alia autem tacite, sed extrinseca, que non insunt ex natura rei, sed ex juris necessitate, seu dispositione. Sic legatum alicui relictum habet tacitam conditionem, *si heres adierit hereditatem*. Nam hoc juris necessitate requiritur ad valorem Legati. lib. 32. ff. de Legat. Quæ verò in ipsa oratione, seu dispositione apponuntur, *expresse* vocantur. Et ex his postremis alia sunt *necessariò eventuræ* (ut, *contraho tecum, si sol orietur*) alia *contingentes* (ut, *contraho tecum, si tibi libuerit*) alia *impossibiles*, quæ evenire non possunt, alia *possibiles*, quæ fieri possunt; & ex his alia *honestæ*, alia *turpes*, alia *repugnantes substantiæ* dispositionis, seu contractus; alia *omnino indifferentes ac disparatæ*, seu *impertinentes*, de quibus omnibus fufius agetur in seq.

§. 1.

Quid in desponsationibus operetur conditio, de præfenti, vel præterito?

764. Resp. inter conditiones propriè dictas non venire illas, quæ sunt *de præfenti*, vel *præterito*, v. g. *contraho tecum, si es nobilis, si fuisti ante 10. annos Catholica*; conditio enim propriè dicta suspendit consensum in eventum futurum, ac indifferentem, saltem opinione illam apponentis, ex communi doctorum sensu; id quod non habet Conditio de præfenti, vel præterito. Nam ejusmodi qualitates non apponuntur animo expectandi earum eventum; sed, ut, si subsistant, pariter subsistat dispositio, ac effectus juris; si non subsistant, nec subsistat, seu valeat dispositio, nec ullum juris effectum pariat. Hinc eiusmodi orationes, seu promissiones (*promitto centum, si navis in portu stat, vel, si Titus Consul fuit*) conditione subsistente, statim puræ sunt; non subsistente, nullæ, ac irritæ; nec differunt effectum, propter ignorantiam nostram, L. 16. ff. de Injusto rupto. §. conditionem, 6. Institut. de

verb. obligat. Adverte tamen, *donec scilicet*, an vera, an falsa sit ea conditio, non posse promissarium agere ex tali promissione. Nam apud nos, & respectu nostræ ignorantia, gerit vices conditionis, & appellari solet *quasi conditio*, ut docet Cujacius l. 1. diffinit. Papin. ad L. Cum in præfens 37. ff. de reb. hered.

Ex quo sequitur, quòd conditio præfens, vel præterita, *non sit conditio propriè*, nimirum *suspensiva* quoad jus obligationis; sed solum *quoad factum agendi*. Nam ad illud attenditur veritas, quod conditio adjecta in re sit, vel non sit; ita Gonzalez in c. 1. h. t. n. 4. cum Donello, Mantica, & aliis ibidem relatis. Et ratio est, quia conditio suspensiva propriè est, *que habet eventum pendentem*, atque adeò, qui nec est, nec fuit; sed hoc non habet qualitas de præfenti, vel futuro, dispositionibus apposita, licet apponens ignoret, eam esse, vel non esse, fuisse vel non fuisse; ergo non apponit eam animo expectandi ejus eventum, consequenter suspendendi suæ voluntatis effectum, qui est obligatio.

§. 2.

Quid in desponsationibus operetur conditio necessariò futura?

765. Resp. Conditiones de futuro, quæ habent eventum necessarium, vel infallibilem, seu non suspensibilem, in foro saltem externo, haberi pro præfentibus moraliter, adeoque *non esse conditiones*, propriè, nec *suspensivas*, quia, quod fieri necesse est, pro præfenti habetur, per L. 9. §. qui sub conditione ff. de Novat. ibi: *qui sub conditione stipulatur, que omnino extitura est, pure videtur stipulari* L. 17. §. seq. ff. de condit. indebiti; L. 79. ff. de condit. & demonstr. & §. si impossibilis. Institut. de inutil. stipulat. Et ratio est, quia tunc nec intentione illas apponentium habent eventum pendentem, ut tenent Canonistæ communiter, esto aliqui apud Sanchez. l. 5. hic D. 2. n. 1. sentiant oppositum; quorum fundamentis responsio dabitur infra; Et ideo etiam conditio impossibilis (negativè adjecta) v. g. *si digito calum non tetigero*, non suspendit, sed utilis, & præfens est, per L. Impossibilis. 7. ff. de verb. oblig.

Sed

766. Sed datam responfionem limita. 1. ut tunc folùm procedat, si etiam in opinione apponentis tales sint; nam secus est, si conditionem necessariò futuram, putent futuram contingenter. Obligatio enim voluntatis sequitur propositionem intellectus, qua manuducitur, ac dirigitur intentio; hinc si cognitio proponat conditionem, tanquam contingenter futuram, atque adeò necdum præsentem in causa sua, necessariò illam datura, suspensiva est. Limita. 2. ut non procedat, si conditio sit incerta, quoad illum, qui eam apponit, ut, *contrabam tecum, si tali die luna eclipsetur*. Nam qualitas de futuro, dispositioni appositæ, quoad effectum suspendendi, vel non suspendendi, consideratur, prout est in intentione disponentis, vel contrahentis sub ea, ut dicemus infra; sed quando respectu eam apponentis est incerta, in intentione est, prout est in cognitione illum dirigente ad ejusmodi dispensationem, vel contractum faciendum; ergo quando in cognitione eam apponentis est incerta, etiam in intentione eam apponentis est incerta; consequenter non necessariò, sed contingenter futura tali die; ergo, licet in se sit necessariò futura, & per rerum naturam certa; si tamen in intentione illam apponentis sit incerta, suspendit, donec sit in se. Nec obstat quod habetur in §. *Conditiones Instit. de V. O.* ubi dicitur, quòd conditiones, que per naturam rerum certæ sunt, non morantur obligationem, quamvis in nobis certæ sint. Nam ille textus non loquitur de conditionibus certò futuris per naturam rerum; sed de presentibus, vel præteritis, quæ non sunt suspensivæ, cum non habeant eventum præsentem; sic Paludanus in 4. dist. 20. c. 5. n. 31.

767. Si quæras. 1. quid operetur conditio necessariò futura, sed die incertâ respectu eam apponentis. v. g. *ducam te, si tuus frater morietur*. Nam quod aliquando morietur, per naturam rerum certum est; quo autem die? incertum. Anterelponf. not. ejusmodi eventus dispositio appositæ, non semper apponi ut conditiones, hoc est, animo expectandi earum eventum, suspensio interim consensu; sed quandoq; solùm ut terminum, seu præfinitionem temporis, ut sensus sit, *quando tuus frater morietur, tunc ducam te*; quo po-

sito, Resp. si apponitur tanquam præfinitio temporis, consensum non suspendi, quoad obligationem eam ducendi; sed tantum, quoad executionem, ut colligitur ex *L. Heres meus*, statim citanda; nam in hoc casu particula *si*, æquivaleret particulæ *Cum*, quæ non suspendit, sed tantum tempus præfinit, ut in seqq. dicemus. Si autem adjicitur, *ut conditio* ignoratâ necessitate, ut tali die fiat, probabilius est apponi animo expectandi conditionis eventum cum effectu secutæ mortis, consequenter eò usque suspendendi sui consensu effectum, qui est obligatio; sic enim in intentione illam adicientis, quoad diem, apponitur tanquam aliquod futurum contingenter. Hujus ulterior ratio est; quia aliàs (si non consideraretur conditio prout est in intentione, ac animo eam apponentis, sed prout est in se, & secundum veritatem) paucissimæ conditiones futuræ suspenderent dispositionem, vel contractum. Nam omnes jam de præfenti habent determinatam veritatem in scientiâ, vel revelatione DEI (ut communiter docent Theologi) consequenter omnes, saltem ex suppositione, sunt necessariò futuræ.

Si quæras 2. an conditio non tantum per naturam, sed etiam ex suppositione futura necessariò, dispositioni vel contractui adjecta habenda sit non suspensiva? *contrabo tecum si Antichristus damnabitur*: negativam sequitur Covarruvias, & Henriquez apud Sanchez. num. 7. qui tamen probabilius affirmat, si eam apponens novit illius necessitatem ex suppositione; secus, si potius credidit futuram contingenter; ratio hujus est ex præcedenti num: nam postquam Sanchez indefinitè dixit lib. 5. d. 2. num. 1. quòd conditio necessariò futura, matrimonio appositæ, non sit suspensiva, dictum suum limitat his verbis: hæc conclusio intelligenda est, quando contrahentes reputabant conditionem esse necessariam; si enim crederent esse contingentem, suspenderet utique in conditionis eventum.

Fundamentum docentium, conditionem necessariò futuram, esse suspensivam, etiamsi necessitas præfens, ut eveniat cognita fuerit eam apponenti, sumitur ex *L. Heres meus. 78. ff. de conditionibus & demonstrationibus*, ubi expressè dicitur:

Bb 3 Heres



Heres meus, cum morietur Titius, centum ei dato, purum legatum est; quia non conditione, sed morâ suspenditur. Sed Resp. in citata lege futuram mortem Titii, legato non adjici, tanquam conditionem; sed temporis præfinitionem, quia illam exprimit non per particulam Si; sed Cum, quæ ex ipsa materia substrata, de quâ agitur, & consequenter intentione legis, idem operatur, ac particula quando, quæ tempus designatur, quæ obligationem non suspendit, sed executioni solum moram definit.

§. 3.

An desponsatio recipiat conditionem propriè dictam?

770. Sunt qui hoc negant de matrimonio; sed hi sumunt matrimonium *formaliter* pro ipsa nimirum obligatione conjugum, natâ ex mutuo consensu conjugali, quem volunt esse matrimonium *causaliter*; ita Sanchez. *lib. 5. hic D. 1. num. 5.* ubi ait, *consensum præstitum ad matrimonium posse ex conditione pendere, non autem matrimonium.* Huic autem resolutioni, etiam quoad ipsum consensum videtur ob stare regula utriusq; juris. Nam consensus in matrimonium est *actus legitimus*; de jure autem Canonico *c. 50. de Reg. jur. in 6.* ibi: *actus legitimi conditionem non recipiunt, neq; diem*; & de jure civili *L. Actus legitimi, ff. eod.* numerantur complures actus legitimi, qui non recipiunt *diem, vel conditionem*, ut emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio Tutoris &c. ubi additur: *ejusmodi actus legitimos, qui non recipiunt diem, vel conditionem, in totum vitari per conditionem, vel temporis adjectionem.* E contra certum videtur, utroq; jure multos actus legitimos non tantum appposito tempore, sed etiam conditione propriè dictâ celebrari, quin ex hoc capite vitentur, ut aliunde notum est, & constabit ex dicendis.

771. Ad rectam igitur intelligentiam illius regulæ notandum, quosdam esse actus, qui vel naturâ, vel legis dispositione instituti sunt, ut statim suum effectum consequantur, aut purè, ac perfectè celebrentur, ut notat Sanchez. *lib. 5. hic D. 1. n. 5.* & alii, quos cit. & sequitur Barbosa. *in cit.*

*Reg. 50. num. 2. & 13. ex quo sequitur; ejusmodi actus, tanquam pro forma substantiali petere, ut concipiuntur purè, nimirum sine suspensione, seu dilatione in futurum. Et quoniam conditio suspensiva, vel futuri temporis adjectio cum hoc non stat, rectè sequitur eam regulam procedere de illis actibus legitimis, quibus repugnat suspensio, aut dilatio in futurum. Sequitur 2. consensum sponsalium, vel etiam matrimonialem recipere diem, vel conditionem suspensivam. Nam hi contractus, vel actus non necessarîo concipiuntur sub aliqua certa forma cui repugnet suspensio, aut dilatio; ad eos enim sufficit ea forma, quæ sufficit ad alios contractus legitimos collatos in tempus, aut eventum futurum, etiam contingentem. Sequitur 3. formas in cæteris Sacramentis novæ legis, non recipere diem, vel conditionem suspensivam; quia repugnat certæ verborum formæ, sub qua ex institutione suâ proferri debent. Nam forma, sub qua ex institutione Christi sunt, significat effectum Sacramenti de præsentibus in subjecto carente obice, ut in his: *ego te baptizo, ego te absolvo, &c.* Sequitur 4. matrimonium, *sumptum formaliter* non recipere conditionem, vel diem; sic enim explicat mutuam obligationem de præsentibus, adeoque consensum non nixum conditione, collatum in tempus, aut eventum contingenter futurum: secus tamen est de Sponsalibus. Hæc enim cum sint promissio matrimonii futuri, & diem, & conditionem recipiunt, cum nec naturâ suâ, nec institutione, aut legis dispositione habeant, ut statim suum effectum consequantur, quoad obligationem præstandi promissum.*

§. 4.

Quid in desponsationibus operentur conditiones tacitæ, ac generales?

Resp. conditiones tacitæ ac generales, seu in dispositione vel contractu *quolibet* subintellectas, non magis esse suspensivas, quam si non exprimentur; ac non expressæ non suspendunt, ergo conditiones tacitæ, ac generales, quæ insunt omni dispositioni, vel contractui, non sunt suspensivæ; ita Sanchez. *l. 5. hic D. 1. n. 6.* *L. conditiones extrinsecus: ibi conditiones*

extrinsecus non ex testamento (seu voluntate testatoris) venientes, id est, quæ tacite inesse videntur, non faciunt legata conditionalia. L. Aliquando 107. ff. de conditionibus, & demonstrationibus. L. Hæc verba Testatoris ff. de legat. 1. ibi, hæc verba Testatoris: si hereditatem adierit, subiectum legatum, vel fideicommissum, non faciunt conditionale. Ex quo colliges, conditiones, quæ tacite insunt, etiam expressas, sed eo modo, quo insunt, nihil plus operari, quam si non exprimantur: L. si ita legatum. 85. ff. de legat. 1. ibi: aliud est enim juris, si quid tacite continetur; aliud si verbis exprimitur. L. 88. ff. de conditionibus, & demonstrationibus: si autem exprimantur in dispositione, sed alio modo, ac insunt, ut scilicet censentur potius appositæ ex voluntate disponentis, seu extrinsecæ, secus dicendum est ex L. si legatum. ff. de adimend. legat. apud Barbof. cit. in regul. juris 60. in 6. num. 10. nam in 1. casu, ubi à disponente non exprimuntur, aut exprimuntur eo modo, quo insunt, dispositio non pendet, nisi à veritate conditionis, in secundo autem, à voluntate exprimentis, & consensum suum conferentis, in eventum futurum. Et ideo in 1. casu dispositionem, aut contractum non reddunt proprie conditionalem, secus in secundo.

773. Exemplum conditionis tacitæ, aliter, ac inest, expressæ, habetur in legato alicui relicto, sub expressæ conditione: si volet; quæ conditio alioquin in omni contractu subintellecta est, consequenter generalis. Nam in dato casu conditionis ibi expressæ legatum conditionale est, juxta L. si ita legatum. 77. §. Illi si volet, ff. de legat. 1. ibi: conditionale est legatum; hæc enim conditio, in legato expressa sensum facit: si legatarius declaraverit, se velle, ut tenet communis DD. in cit. L., & Abbas in c. significasti, de Elect. n. 6. Covar. 4. decret. p. 2. c. 6. §. 2. num. 4. & alii. Et ideo legatum illud evadit proprie conditionale, ac suspendit, dum legatarius suæ voluntatis declarationem faciat. Unde fit, ut prius decedens, legatum non transmittat ad hæredes, juxta cit. §. Illi, si volet; cujus tamen oppositum foret, eà conditione minime expressa, ut dicitur in L. Cum Pater 77. ff. de legat. 2. ubi habetur, etiam ignorantibus emolumentum ex testamento dari; & cit. L. si ita ibi: quamvis

aliàs, quod sine adiectione (si voler) legatum est; ad heredem legatarii transmittatur. Hinc licet omnia, quæ testamentis adscribuntur sine die, vel conditione (nimirum suspensiva, vel tacita, sed expressa alio modo, quam insit) ex die hereditatis adita præstentur, ut apertè dicitur L. omnia 32. ff. de legat. 2. secus tamen est, ubi conditio etiam tacita, verbis alio modo, quam insit, exprimitur, ut dictum est. Tunc enim ante conditionis eventum, non debentur legata, nec præstentur, ut ait Gloss. in cit. L. 32. Lit. E.

Dubitari etiam potest, an hæc conditio (si DEUS voluerit, vel si DEO placuerit) sit generalis? consequenter, an desponsatio, sub ejusmodi conditione celebrata, sit conditionalis, an pura? si enim pura est, parit impedimentum justitiæ publicæ; secus, si conditionalis; juxta dicta supra. Conditionalem esse docent Gloss. in c. Utric de sponsal. in 6; Hostiens. in c. Ad audientiam, eod. & alii: puram verò Gloss. in c. Beatus 21. q. 2. V. divina; Archidiac. in cit. c. Utric. Rosella V. matrimonium. 5. num. 1. Pet. de Soto lect. 3. de matrimonio §. Quarto denique, & alii: sed Pater Sanchez. lib. 5. hic D. 1. num. 10. rectius distinguit, & ait, desponsationem in eo casu esse puram, si conditio intelligitur, de divina voluntate beneplaciti, conditionalem, si de voluntate approbationis, seu signi. Voluntas prima est, quæ DEUS omnia quæ sunt, vel vult, vel permittit: & sic omnino est conditio generalis, consequenter non suspensiva, juxta num. 772. voluntas verò altera, nimirum approbationis, & signi est, cum prudenter (de consilio bonorum, & oratione) colligimus talem actum placere DEO, non displicere; & si sic apponatur, est suspensiva, dum de voluntate signi constat.

§. 5.

Quid in desponsationibus operentur conditiones, tacite, ac speciales?

775. Quæstio est de illis conditionibus, quæ sunt intrinsecæ adeo, ut earum defectus vitiet desponsationem, quales sunt reciprocos consensus, defectus impedimenti dirimentis. De his igitur universaliter tenendum, per ejusmodi conditiones dispo.

recedendum sit. Nam hoc contingit vel ratione legis cessantis, vel ratione materiae subjectae, vel propria orationis significatione, aut ex alterius constitutionis interpretatione, ut rectè notat Covarr. cit. eodem. num. 8. at nihil horum est in praesenti; ergo. Difficultas solum est, an ly *conditio* in dicta constitutione, seu canone finali, sumi debeat pro *conditione* non tantum de futuro, sed etiam de praesenti, aut praeterito, tam possibili, quam impossibili, honesta & que, ac turpi? mihi videtur affirmandum de qualibet conditione ex modo nominatis, quæ consistere non potest cum consensu contrahentium, prout necessario ad contractum conjugalem, cum enim conditio contraria substantiae actus, quæ vel immediatè repugnat substantiae actus; implicat stare hujus substantiam, dum ad est aliquid ei, vel ejus substantiali constitutivo, repugnans.

779. Dices tamen I. à matrimonio spirituali ad carnale valet argumentum. *c. inter corporalia, de Translatione Episc.* sed illud non viciatur adjecta conditione, illius substantiae contraria. Nam de natura Sacramenti ordinis est, ut gradum sacrum recipiens emitat votum castitatis. *c. meminimus. c. Rursus, Qui Clerici, vel voventes,* & tamen, ut *sibi postea matrimonium contrahere liceat*, admittitur conditio *c. Diaconi, dist. 28.* sed Resp. I. argumentum à matrimonio spirituali ad carnale valere solum, quando conveniunt ex ratione necessaria in eo, de quo agitur; seu quando ratio decidendi aliquid pro illo, etiam necessaria est respectu alterius, qualiter rectè concluditur, *Petrum sentire posse*, quia id potest equus ex hoc, quod sit animal; aliàs enim argumentum ab uno ad alterum, est potius à disparato ad disparatum, quo casu potest utraque propositio vera esse, & illatio falsa; ut si dicas: *Petrus dormit; ergo fornax est frigida.*

780. Resp. 2. transeat major in praesenti casu; neg. min. dico; *transeat.* nam in *cit. c.* (ut notat Barbosa *ibid. num. 5.*) per illa verba (*quod DEUS conjunxit &c.* in sensu literali quem intendit Spiritus Sanctus) *matrimonium carnale lege divinà fuit reservatum ipsi Christo; secus autem spirituale.* Et ideo subjungit: *mirum non esse, si istud (nimirum spirituale) Pontifex facillè dissolvat.* Unde in *num. 6.* habet,

Tom. II?

quando matrimonium spirituale dicitur, non esse solubile, nisi potestate divinà, aliud non significari, quam, non esse solubile, nisi auctoritate divinitus datà à Christo, Vicario suo; consequenter, textum in hoc quidem velle, *utrumque indissolubile esse*, nimirum, ut in hoc carnale, ac spirituale matrimonium conveniat, quòd, sicut illud Christo, sic istud soli Vicario Christi, quà tali, divinà lege sit reservatum, proportionem quadam sensus literalis ad moralem, quàm, ut ait Barbosa *cit. num. 5.* ex D. Thom. *1. p. q. 1. a. 10.* uti solent summi Pontifices ad propria decreta confirmanda, ut pluribus exemplis ibidem confirmatur.

Ad prob. nego *votum*, aut promissionem servandæ continentiae, etiam tacitam, esse de substantia sacri ordinis suscipiendi, ut diximus *lib. 3. tit. 3. de Cleric. Conjugat.* & iterum dicemus hic inferius. Nam esto, & Regulares professi, & Clerici in sacris, sint incapaces matrimonii contrahendi, & hoc ex voto, vel expresso, vel tacito; illi tamen tales sunt ex voto, quod est de substantia illius status; non isti, ut constabit ex sequent. Neque subsistit, in *c. meminimus*, dici, aut inde colligi, votum continentiae esse de natura, seu substantia Sacramenti ordinis, cum expressè solum agat de eo, qui se ad Religionem coram Episcopo devovit, & habitum Religionis suscepit; & in *c. Rursus*, nec verbum sit de hoc casu, sed solum illi, qui post votum simplex juravit se uxorem ducturum, Coelestinus III. responderit, *juramentum temerè factum, & votum servandum esse.* Quare si quis religionem profitendo, sive expressè, sive tacitè, apponeret conditionem, *si postea possit factò, non jure, matrimonium contrahere*, conditio quidem foret turpis, sed non contra substantiam professionis; secus, si profiteretur solenniter sub conditione *matrimonii postea jure contrahendi.* Nam in hoc casu viciaretur professio, si voluntas conditionis hujus adjectiva foret efficax, cujus ratio est ex *num. 778.* nam voluntas profitendi solenniter, includit essentialiter voluntatem emittendi solenne votum castitatis, cum quo non fiat voluntas exclusiva illius solennitatis, qualis tamen est efficax voluntas se non reddendi incapacem matrimonii jure contrahendi. Vo-

Cc

luntas

luntas porro validè suscipiendi sacrum ordinem non includit essentialiter, & natura sua voluntatem emittendi solenne votum castitatis. Ad id, quod adducitur ex c. *Diaconi dist. 28.* Resp. voluntatem suscipiendi sacrum ordinem sub conditione, quòd *postea possit jure contrahere matrimonium*, esse quidem nunc conditionem turpem, non tamen substantialiter contrariam intentioni sacrum ordinem suscipiendi, quia non includitur essentialiter in ea intentione. Nam (ut notat glossa ibid. V. *Diaconi*) olim in orientali Ecclesia ordinabantur Diaconi, & in altaris ministerio permittebantur, licet postea ad nuptias venerint, si prius, cum ordinabantur, in ipsa ordinatione professi sint, *velle se habere uxores, nec posse continere*, & hoc propterea, quòd *ipsis Episcopus licentiam dederit*, ut habet textus; hoc autem non stare, si voluntas emittendi solenne votum castitatis includeretur essentialiter in intentione validè suscipiendi sacrum ordinem.

782. Dices 2. licet abdicatio bonorum adeo sit status monastici propria, ut nec Pontifex in ea dispensare possit; tamen adjecta conditio, ut proficenti liceat in domo propria suum patrimonium retinere, non irritat professionem; ergo non omnis conditio substantiæ actûs contraria, irritat contractum etiam matrimonii. Prima pars antecedit, est ex c. *Cum ad monasterium 6. de statu Monachorum, in fine*, ibi: *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regule Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*: altera verò pars antecedit, est ex c. *Insinuante 7. Qui Clerici, vel voventes*, ubi jubetur mulier redire ad Religionem, quam professâ est assumpto habitu eo tempore, ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret. Ex quo constat votum illud paupertatis religiose etiam cum conditione retinendi proprium, nihilominus valuisse.

783. Ante respons. nota 1. casum in c. *Insinuante*, hunc esse: quidam Curiales Regis Legionensis huic supplicarunt, pro copula, seu matrimonio mulieris cujusdam nobilis; quo intellecto consanguinei dictæ mulieri sub obstinatione regia, ut maritum accipiat, suggererunt; cum autem ipsa tunc nollet, consilium ab eis accepit, emit-

tendi votum castitatis. Mulier consilium secuta, in manibus cujusdâ de Fratribus S. Augustini votum illud emisit eo tenore, ut *in domo propria cum omni substantia sua remaneret*, & in ejusdem ordinis habitu biennio permansit, licet postea dixerit, se invitam fuisse, tam metu Regio, quam parentum. Cum ergo tale votum irritum censeret, dimisso habitu, de parentum consilio, cum quodam Michaële matrimonio publicè celebravit, & tempore procedente quatuor filios suscepit. Casus tandem delatus est ad Innocentium III. per Libonen. & Colimbriens. Episcop. ad quem sic rescripsit Pontifex.

Nos attendentes, quòd in emissionem voti, quòd præcessit nulla, vel modica coactio adfuerit, quam patientia & perseverantia sequentis temporis penitus profugavit, & quòd sequens conjunctio potius iniqua fuit, & violenter extorta: mandamus, quatenus si præmissis veritas suffragatur, *presatam mulierem ad male dimissum religionis habitum reassumendum, & servandum quod vorvit, monere, & inducere procuretis, & (si opus fuerit) per censuram Ecclesiasticam coercere*. Ex hoc textu, quò clarè jubetur dicta Mulier, Religionis habitum reassumere, tanquam malè dimissum, sequitur 1. Pontificem censuisse, mulierem illam per votum castitatis in manibus illius Fratris ex ordine S. Augustini emissum, & deponatum ejusdem Religionis habitum, eam esse tacite professam, consequenter invalidè contraxisse matrimonium, & ad dimissam malè Religionem compellendam.

Nota 2. proprietatem, quam excludit votum paupertatis Religiosæ, proprie pertinet ad substantiam statûs, quo quis constituitur, verè ac propriè Religiosus, non excludere dominium rerum temporalium à tota Communitate (hoc enim habent plures Religiones, etiam Monasticæ) nec etiam in persona particulari; cum hoc detur in his, qui in Societate nostra post biennium probationis emiserunt sola tria vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ, qui tamen sint verè, ac propriè religiosi, ut ex definitione sedis Apostolicæ certum est; unde sequitur *proprietatem rerum temporalium*, aliam consistere *in jure, ac retentione domini talium*; aliam, *in solo usu domini*,

atque iuris, independente à consensu, & licentia legitimi superioris; & solum alterutram esse de substantia status Religiosi, ut sic.

Nota 3. in omnibus defacto Religionibus, ex Ecclesiæ constitutione per paupertatem solemniter professam excludi proprium, non tantum usus independentis, sed etiam dominii, in persona particulari; non tamen in communi; cum, ut dictum est, defacto plures dentur Religiones, quæ rerum temporalium dominium habent, conveniens omnibus non ut singuli sunt; sed quo Communitatem constituunt. his præmissis:

Resp. ad objectionem in n. 782. dist. anteced. licet abdicatio bonorum adeo sit status monastici propria, ut nec Pontifex in ea dispensare possit, professio tamen valet adjecta conditione, ut proficenti liceat in domo propria patrimonium suum retinere, retentione non contraria substantiæ abdicacionis bonorum, quæ est de substantia talis professionis, C. contraria substantiæ talis abdicacionis, nego antecedens, & conseq. Quæstio igitur solum est, an illa conditio professioni adjecta (ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret) sit contraria substantiæ voti, quod in manibus cujusdam è Fratribus S. Augustini emiserat dicta mulier? variae sunt in hac re Doctorum opiniones. Primum enim dici posset, quòd in textu solum fiat mentio de voto castitatis, non autem Religiosæ paupertatis; at cum voto castitatis fiat, quòd vovens in domo propria cum omni substantia sua remaneat; Ergo.

Nec obstat, si dicas; esto ibi explicitè fiat duntaxat mentio de voto castitatis; quia tamen ex decisione Pontificis clarè colligitur, mulierem tacitè professam esse Religionem (aliàs enim non cogere- tur dimisso viro, cum quo matrimonium contraxerat, & consummaverat redire ad Religionem) non potest dici, emissum ab ea solum votum castitatis, sed etiam obedientiæ, & paupertatis Religiosæ, sed huic repugnat ea conditio, ergo. Hoc inquam non obstat. Nam ut observat Gonzalez in c. Insinuante num. 6. hoc ipsum intelligendum est, juxta morem antiquum, de quo idem in c. Consuluit 4. Qui Clerici vel voventes, juxta quem olim plures Vir-

gines & Viduæ profitebantur vitam Religiosam in domo propria, tantum obedientiam & castitatem promittentes; quin propriis renuntiare, aut clausuram intrare profiterentur; quia clausura, & abdicatio bonorum non erant olim ita substantialia status religiosi, ac vota obedientiæ, & castitatis; sic Gonzalez cit. n. 6. in fine, & Pontius l. 7. de impedim. c. 13. qui expressè docet, Religiosos voventes paupertatem, primis seculis retinuisse suorum bonorum dominium.

Alii volunt, illum tenorem adjectum 789. (ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret) non fuisse conditionem, sed tantum modum, seu onus adjectum receptioni ad professionem: Verum etiam modus contra substantiam actus, cui adjectur, eum viciat juxta complures, ut dicemus infra: Quidam censent, textum illum esse intelligendum de solo Simpliciter, non solenni voto Religionis, sed non bene; quia post ipsum votum statim secuta est susceptio, & gestatio habitus per biennium, ut constat ex textu; hæc enim denotant non votum simplex, sed professionem. Alii opinantur in hoc casu conditionem esse viciatam, non professionem; ac ideo legitimum ejus superiorem bona illa potuisse occupare; hoc quidem ex natura rei verum est, si voluntas profitendi fuit efficax, sed dispositione juris non conditio, sed actus viciatur, ut constat ex cit. c. fin. & L. cum precario 12. de precario, ibi: sed nulla vis est hujus conventionis; & si conditio fuisset viciata, seu habita pro non scripta, Pontifex eam, saltem ut turpem improbasset, de quo tamen nulla mentio.

Mihi dicendum videtur, etiam dato, 790. quod adjectus ille tenor fuerit conditio, non tamen fuisse appositam de retinendo dominio, sed tantum de usu dependente à nutu Prelati, quæ conditio non est contra substantiam professionis, ut diximus num. 785. & ita etiam tenet Sanchez. lib. 5. hic D. 9. num. 14. Wagnereck in Exegest. ad cit. c. Insinuante. V. ut in domo propria. Barbof. ibidem num. 3. Versu: sed mirum; aliàs enim ea conditio valere non potuisset, id, quod est valdè probabile; id quod etiam tradit Gloss. in præsententi, & in c. solet. 32. q. 2. Ex quo tandem concluditur, dictam conditionem non fuisse contrariam substantiæ illius professionis

sonis, consequenter intelligi solum de retentione non repugnante substantiæ professionis, etiam tacite emissæ.

791. Dices 3. intentio, non servandi fidem conjugalem, sumendi venena sterilitatis, aut vitandi prolem, est contra substantiam matrimonii, & tamen stat cum matrimonio; ergo conditio, & pactum contrarium substantiæ matrimonii, non viciat matrimonium. Confirm. 1. quia, si tales conditiones in principio appositæ viciarent essentiam matrimonii, deberent etiam viciare illam, appositæ post matrimonium rite contractum (nam essentia indivisibilis, & semper eadem est; hinc si aliqua circumstantia facit, ne ipsa stante sit, aut producat homo, etiam facit, eum perire illâ positâ) sed illæ conditiones, appositæ post contractum matrimonium, hoc non viciant, nec destrunt; ergo nec appositæ in principio. 2. contra substantiam precarii est, non posse quandocumq; revocari L. Cum precario aliquid 12. ff. de precar. & tamen stat, seu valet, adjectâ tali conditione c. fin. de Precariis.

792. Pro resolutione suppon. 1. substantiam matrimonii consistere in consensu à contrahentibus legitimè præstito per verba de presenti, vel alia signa sufficientia; ut constat ex c. sufficiat, 27. q. 2. quod retulimus supra c. Cum tecum. 14. b. t. ibi: matrimonium autem solo consensu contrahitur. c. Cum apud 14. eod. & c. Tue 25. eod. ibi: matrimonium in veritate contrahitur per legitimum Viri, & mulieris consensum, ut autem consensus iste, legitimus sit, talis esse debet, quo ambo, jure habiles, intendunt se obligare mutuo ad tria bona matrimonii, ut exponit Gonzalez in c. fin. b. t. n. 3. nimirum, bonum prolis, bonum Sacramenti, bonum fidei conjugalis. Bonum prolis consistit in proliferatione iniquè non impedienda, ac educatione liberorum, ut habetur in principio Instit. de jure naturali. Fides conjugalis, in reciproca fidelitate, non solum obligationis debiti solvendi, verum & alteri se non commiscendi. Bonum Sacramenti autem in individua vitæ societate, quam matrimonium longè excellentiorem obtinuit, ex institutione Christi, per quam elevatum fuit ad rationem Sacramenti.

Supp. 2. ea tria bona matrimonii, quoad executionem, non esse de matrimonii

substantia, seu essentia; esse tamen de ejus substantia, & essentia consensum, in ea bona, consequenter obligationem. Nam de matrimonii essentia est, ut conjugales obligentur ad perpetuam vitæ societatem, & fidem sibi servandam, reddendo debitum, negandoque corpus alii, ac prolem non impediendam, sed educandam, si Deus eam dederit, ut fusè probat Sanchez. lib. 2. hic D. 29. à. n. 12.

Suppon. 3. Cum dicimus, bonum prolis, fidei conjugalis, & Sacramenti quoad obligationem, non autem quoad executionem, esse de essentia matrimonii, seu legitimi consensus matrimonii, qui est de substantia matrimonii, nos aliud non velle, quàm intentionem se obligandi ad illa tria matrimonii bona esse de substantia matrimonii, ut aperte sentit D. Thom. in 4. dist. 31. q. 1. 2. 3. in corp. Nam postquam dixit sine fide, & prole, secundum quod considerantur in suis principiis (nimirum, ut pro prole accipiatur intentio prolis; & pro fide, debitum servandi fidem) matrimonium esse non posse, ait sic accipiendo fidem, & prolem; proles est essentialissimum in matrimonio, & secundum fides; Tertio Sacramentum: ubi clare ponitur de substantia matrimonii intentio, quæ pro fine habet illa bona, sed in suis principiis, nimirum in obligatione, non autem in executione. Ex hoc sequitur intentionem contrariam obligationi ad ea tria matrimonii bona, eo ipso esse contrariam substantiæ matrimonii (cum implicet, quod quis simul habeat voluntatem efficacem, quæ velit & nolit se obligare ad idem) non autem contrariam executioni; potest enim quis velle se obligare ad aliquid, sine animo exequendi; his positis:

Resp. ad object. in n. 791. nego antecedens; nam ea intentio solum est contraria voluntati exequendi obligationem; non autem intentioni, seu voluntati se obligandi ad ea bona. Voluntas autem exequendi obligationem non est de substantia matrimonii, ut dictum est num. 792. hinc nisi ex conditione, si non servaveris fidem conjugii, si sumpseris sterilitatis venena, si vitaveris prolem, deducantur in pactum, hoc est, nisi obligatio ad ea pro conditione ponatur, ex hoc titulo, non viciant matrimonium; quia aliter non repugnant substantiæ matrimonii.

Ad 1.

Ad 1. confirm. Respcum distinctione majoris: debent etiam vitari illam appo- sita post matrimonium ritè contractum, si apponerentur eo modo, quo repugnant illius essentia. C. majorem; si alio; nego majorem. Si autem apponantur post ma- trimonium ritè contractum, non appo- nuntur, nec apponi possunt eo modo, quo repugnant ejus essentia. Nam obligatio ad eas conditiones bono matrimonii op- positas, solum repugnat essentia matri- monii, in quantum contrariantur volun- tari se obligandi ad ea bona, dum quis con- trahit; non autem postquam contraxit. Nam tunc repugnat simul esse in contra- hentibus has duas voluntates efficaces: ob- ligatio ad prestanda bona matrimonii, obli- gatio ad non prestanda bona matrimonii: sic voluntas non dandi pretium pro re ven- dibili, non repugnat *emptio factæ* adje- cta; secus adjecta in principio. Accedit, ut rectè notat Fagundez. lib. 1. de contra- ctibus c. 7. num. 17. quòd quando ea con- ditio apponitur in principio, apponatur, ut *constitutiva contractus*; non autem, quando apponitur contractui jam consti- tuto; ergò non apponitur utrobique eo- dem modo.

Ad 2. confirm. de precario Resp. eam conditionem (ut possit quodcum- que revocari) non pertinere ad substan- tiam precarii, sed tantum ad qualitatem, qualiter conditio seu pactum, non *revo- candi*, adjectum testamento, non est con- tra substantiam, sed solum qualitatem, consensus ad testamentum requisiti, ut docet Covarr. 4. Decretal. 2. p. c. 3. §. 1. num. 17.

771. Ex dictis colliges 1. non tantum jure positivo, ut constat ex dictis; sed etiam naturali, omnes dispositiones, & contra- ctus vitari, ac irritos esse, adjecta condi- tione contraria substantia talis actus; quia contradictionem implicat, quòd quis si- mul efficaciter velit substantiam actus, & aliquid contrarium substantia actus, seu illi repugnans. Colliges 2. idem dicen- dum de conditione pro quolibet statu, si in- composibilis sit cum voluntate se obli- gandi ad prædicta bona matrimonii. Ra- tio est omnino eadem; quia sic debent simul stare duæ voluntates circa idem, contraria, quòd repugnat; & ideo etiam conditio *resolvens*, licet non sit *suspen-*

dens, vitiat contractum v. g. *duco te, do- nec aliam ditiozem invenero*. Hæc enim tollit consensum in perpetuitatem, qui est de substantia matrimonii; ita Sanchez. cit. lib. 5. hic D. 98. Colliges. 3. hanc condi- tionem: *si non invenero aliam ditiozem*, consensui posse apponi, vel in vim obliga- tionis v. g. ut ab obligatione liber sim, si aliam invenero; vel suspensivè, nimirum, *animo se non obligandi prius, quam condi- tio purificetur aut deficiat*. Colliges. 4. Si ea conditio adjiciatur primo modo, vi- tiari contractum: secus, si secundo. Nam in primo obligatio *separabilitatis* admit- tenda; contraria est obligationi *inseparabi- litatis*; quæ obligationes non concurrunt in secundo, ut patet consideranti. Nam *si aliam inveniat*, deficit consensus in perpetuitatem datus, sub conditione; *si aliam non invenero*; si autem non *invene- rit aliam* consensus evadit absolutus, & nulla tunc adest obligatio ei concedendi separationem. Coll. 5. hanc conditio- nem *si te adulterandam tradideris*, posse apponi vel *per modum obligationis*, ut sensus sit, *si te obliges ad adulterandum*; & sic vitiat matrimonium, quia voluntas se ad hoc obligandi est impossibilis cum voluntate se obligandi ad non adulteran- dum, quæ voluntas est de substantia ma- trimonii, vel solum *per modum executio- nis*, ut sensus sit, *si habeas propositum non servandi quod promittis, & ad quod te ob- ligas*; & in hoc casu non vitiat matrimo- nium; sed tanquam turpis habetur pro non adjecta. Collig. 6. vitari matri- monium adjecta conditione, *si te obliges non reddere debitum jussu petenti*, vel, *si te obliges necare prolem nobis natam*; aut, vitandi in corpore, reddendo cæ- cum, mutilam D. Nam hæc obligatio contra- ria est voluntati se obligandi ad curandum bonum proles, falcem negativè) nimirum non nocendi corporali ejus saluti.

§. 7.

An conditio honesta, si sit contraria bonis matrimonii, vitiet matrimo- nium?

Responsio est affirmativa; ita San- chez. cit. lib. 5. hic D. 10. num. 2. qui tamen oppositam negativam, quam (ib. num. 1. tenent Paludanus, & alii) vocat *verè pro-*

probabilem. Ratio hujus est non tantum ex jure positivo, quod constitutio *c. finalis* sit indefinita, consequenter universalis; sed etiam ex jure naturali, quod simpliciter recusat duas voluntates contrarias circa idem simul tempore, ut dictum est in prioribus Pontifex enim in *c. fin.* non respexit ad honestatem, vel turpitudinem conditionis, quando dixit: *per conditiones substantiæ actus contrarias, vitari actum*, sed ad repugnantiam conditionis adjectæ, cum consensu in bona matrimonii, *quoad obligationem.*

797. Ex hoc autem nascitur quæstio, an si duo contrahant matrimonium, expressè adjectâ conditione, *servandi castitatem in conjugio*, ea conditio sit contra substantiam matrimonii, consequenter contractum vitiet, ac irritum reddat? admitto Conjuges matrimonio ritè contracto posse de mutuo consensu edere *votum castitatis, debiti non petendi, vel Religionis ingrediende*; non enim repugnat, quod quis usum juris legitime acquisiti sibi voluntariâ obligatione interdicit: sed an possint in principio contrahere cum tali obligatione voti? non omnes æque conveniunt. Nam in quæstione (*an dum quis contrahit matrimonium, cum intentione servandi castitatem, hoc ipso intendat aliquid repugnans substantiæ matrimonii*) multiplex est Doctorum opinio. Paludanus in 4. dist. 30. q. 2. docet matrimonium sub ea conditione contractum non vitari, licet sit contra substantiam matrimonii, seu bonum proles; volens *c. fin. b. t.* intelligendum duntaxat *de conditione turpi*, & contraria substantiæ matrimonii; *non de honesta*, qualis est, *si servaveris castitatem.*

798. *atq.* Gonzalez in *c. Insinuante b. t. n. 8.* censet illâ conditione in ipso contractu deductâ in pactum, vitari matrimonium, eò quod conditio servandi castitatem excludat consensum in mutuum cohabitationem, hoc est in jus, & potestatem ad copulam; quod etiam docet Sanchez. *lib. 5. hic D. 10. n. 3.*

Similiter Waldensis *de Sacram. c. 131.* docet, matrimonium impediri, quando illud contrahitur cum intentione implicita, & virtuali *servandi castitatem.* Nam ad matrimonium necessarius est consensus, saltem implicitus in ea, quæ sunt

de ejus essentia; sed proles, fides, Sacramentum, sunt de essentia matrimonii ex D. Thoma in 4. dist. 31. q. 1. a. 3. *supra n. 793.* relato: ergo voluntas excludens ea excludit matrimonium; talis autem est voluntas, *servandi castitatem*; ergo.

Sylvester V. *Matrimonium 4. q. 1. 5. & 6.* & alii, censent per conditionem substantiæ matrimonii contrariam, mente retentam, matrimonium non vitari; quia ad matrimonium tantum desideratur consensus contrahentium, signis, seu verbis expressus; consequenter conditio mente retenta nequit illud vitare.

Basiliius Pontius *lib. 3. de matrimonio c. 11. n. 6.* docet, *conditionem de vitanda copula, sive ex pacto, sive ex voto*, positam in contractu matrimonii, non esse contra ejus substantiam, id, quod videtur cæteris probabilius. Quia voluntas ejusmodi conditionis, etiam in pactum deductæ, non est contraria consensui, ad verum ac legitimum matrimonium requisito; cum alius non requiratur, quam consensus mutuus sufficienter expressus, quo contrahentes sibi mutuo (privativè ad alios) constituunt jus perpetuum sui corporis ad usum conjugalem; huic autem consensui non repugnat voluntas servandi continentiam, ut patebit ex seq. Ergo.

Nam 1. *voluntas alteri constituendi, & vicissim acquirendi jus corporis ad usum conjugalem; & voluntas non utendi jure* non sunt voluntates oppositæ; sicut oppositæ non sunt, *nolle copulam, imò velle obligari ad non utendum jure copule, & velle retinere jus ad copulam.* 2. quia licet obligans se ad castitatem excludat omnem consensum in copulam, per hoc tamen non excludit consensum in acquirendum jus ad copulam; hæc enim duo simul stare possunt. Hinc *velle matrimonium contrahere, seu velle acquirere jus ad copulam, & jus acquisitum velle retinere*, solum differunt in hoc, quod in primo casu quis velit acquirere: in secundo jam acquisitum jus ad copulam retinere; atqui hæc secunda voluntas non est consensus in copulam (stat enim in Conjuge post matrimonium consummatum professio) ergo nec in primo.

3. Non etiam ex eo, quòd ejusmodi conditio repugnet bono prolis essentialiter intento in contractu conjugii. Nam bonum prolis, quod in contractu matrimonii necessario intendi debet, non aliud exigit, quàm *jus ad copulam* cum obligatione non vitandi prolem, *positivè*, ac *iniquè*, per media illicita impediendo ejus generationem, ac reddendo se ineptum ad proliferationem, seu Sobolis susceptionem; sic Castropal. *hic D. 2. p. 11. S. 4. num. 7.* sed cum tali consensu stat voluntas servandi castitatem, præferim, cum valdè congruè dici possit, cum dicitur: *in matrimonio debere intendi bonum prolis*, aliud non significari, quàm per ejusmodi contractum conjuges debere sibi constituere jus ad usum conjugalem, seu copulam, non causà meræ voluptatis, sed causà suscipiendæ prolis, si jure suo uti velint.

799. Ex hoc sequitur, eam conditionem: *si prolem vitæ*, quam Pontifex in *c. fin. b. t.* numerat inter condiciones *contra substantiam matrimonii*, non debere in eo loco sumi merè *negativè*, quasi diceret, hanc conditionem (*si non velis uti jure conjugali*) esse contra substantiam matrimonii: sed *positivè*, nimirum, *si velis vitare prolem, positivè impediendo*, ut expositum est. Ratio est, quia alias non utendo jure copulæ, agerent coniuges contra bonum prolis, prout illud intendere pertinet ad substantiam matrimonii, id, quod dici potest, cum nec implicita quidem intentio, *utendi jure copulæ*, ullo modo pertineat ad substantiam contractus conjugalis, ut patebit ex dicendis.

800. Dices tamen 1. voluntas apponens eam conditionem (*si prius te voto castitatis obstrinxeris*) est contra bonum prolis, ergo vitiat matrimonium; patet consequentia 1. quia hæc conditio (*si prolem vitaveris*) vitiat matrimonium; ut patet ex *c. c. fin.* sed illa conditio est eadem ac ista; ergo etiam ista vitiat matrimonium. 2. quia voluntas excludens finem conjugii, est contra hujus substantiam (sic enim excludit intentionem contrahentis, quæ est de substantia matrimonii) consequenter vitiat matrimonium: sed voluntas illius conditionis est voluntas excludens finem matrimonii; excludit enim omnem consensum in copulam, consequenter in

prolificationem, quæ est finis matrimonii ergo.

Resp. voluntatem, quæ apponit eam 801. conditionem (*si ex voto servaveris castitatem*) non esse contra bonum prolis quoad obligationem, sed tantum quoad executionem, bonum autem prolis, *consistens in executione*, hoc est in usu juris ad copulam, seu in ipsa copula, non est objectam, in quod ferri debet consensus, qui est de substantia matrimonii, ut tenet ipse Sanchez supra relatus; ergo voluntas apponens eam conditionem (*si ex voto servaveris castitatem*, vel *voto ad illam te obliges*) non est contra bonum prolis, prout hoc est objectum consensûs, in quod ferri debet consensus; qui est de substantia matrimonii; ergo non vitiat contractum conjugii sub ea conditione initum.

Ad 1. prob. conseq. Resp. eam con- 802. ditionem (*si prolem vitaveris*) intellectam *solum negativè*, nimirum (*si ex voto copulam intermiseris*) non vitare matrimonium, nec in hoc sensu in *c. finali* à Pontifice numerari inter condiciones, quæ sunt contra substantiam matrimonii, secus, *intellectam positivè*, nimirum per media mala, ut dixi *num. 799.* at sic non est idem, ac conditio, *ex voto servandi castitatem*, seu non utendi jure copulæ; ergo. Porro bonum prolis *quoad obligationem*, consistit in mutua traditione corporum, seu in jure, & potestate mutua ad copulam conjugalem, & hoc est objectum, in quod ferri debet intentio, & consensus, qui est de substantia matrimonii: huic autem intentioni non contrariatur intentio (*ex voto non utendi eo jure*) quia hæc duæ intentiones sunt circa distincta objecta; nimirum, circa *jus*, & *usum juris* ad copulam. 2. quia potest quis habere jus ad aliquem usum, & tamen habere obligationem non exercendi talem usum, ut patet in conjugibus, post matrimonium, consummatum Religionem professis. Hi enim retinent jus ad copulam, & tamen voto prohibentur à tali usu. Idem est in his, qui post simplex votum castitatis in sæculo validè, sed illicitè, contraxerunt; Ergo.

Ad 2. prob. conseq. in n. 800. conce- 803. do voluntatem, quæ excludit finem *intrinsecum* matrimonii, omnino esse contra substantiam illius; non autem si excludat solum

solum finem extrinsecum. Finis intrinsecus matrimonii est bonum prolis, quoad obligationem; extrinsecus, bonum prolis, quoad executionem; illum autem non excludit voluntas ex voto servandi castitatem, ut ostensum est; quia stat cum intentione tradendi mutuo jus corporum, ad copulam; ergo: ad hujus probat: quâ dicitur: quod voluntas apponens conditionem (si ex voto servaveris castitatem) excludat omnem, consequenter etiam implicitum, & virtuales consensum in copulam, Resp. dato, quod excluderet omnem, atque ad id etiam implicitum consensum in copulam: ex hoc tamen non inferri, quod contrarietur consensui, qui est de substantia matrimonii, seu bono prolis, quoad obligationem. Omnino enim negatur, quod consensus in traditionem corporum, & potestatem ad copulam, saltem implicitè ac virtualiter feratur in copulam; nam hoc principium, quo utitur P. Sanchez. lib. 2. hîc D. 28. (consensus in aliquam rem, fertur saltem implicitè in effectum, ad quem illa res intrinsecè ordinatur) omnino fallit. Ratio hujus est, quia productio entis essentialiter, & naturâ suâ ordinari ad alterum, non necessario, etiam implicitè, ac virtualiter, est productio termini; aliàseductio unionis inter corpus & animam, etiam foreteductio animæ: & qui producit motum corporis, produceret corpus, ergo. Nec volitio connexionis, est implicitè, ac virtualiter volitio termini, aliàs consensus DEI in permissionem peccati, quod vidit infallibiliter futurum sub conditione certi auxilii, esset consensus in peccatum; & efficax amor medicinæ, esset efficax amor morbi præexistentis, &c. imò in his, quæ liberè omitti possunt, etiam posito ente ad ea intrinsecè ordinato, planè fallit; ut contingit in divinis auxiliis, quæ à voluntate creatâ frustrari possunt, esto naturâ suâ in bonum ordinentur.

804. Quia tamen P. Sanchez. lib. 2. hîc D. 28. per implicitum & virtuales consensum in copulam, nihil aliud intelligit, quàm explicitum consensum in contractum, quo constituitur jus mutuum, & potestas ad copulam, intrinsecè ad hanc ordinata, rectè sequitur, quod voluntas excludens consensum etiam implicitum in copulam in hoc sensu, & juxta dictam suppositionem

consensus impliciti, eo ipso excludat consensum, qui est de substantia matrimonii; & ideo si suppositio vera esset, negari deberet, quod voluntas apponens dictam conditionem, excluderet etiam implicitum consensum in copulam, quia non excluderet consensum explicitum in jus ad copulam, qui hic supponitur esse consensus implicitus ad copulam.

Ex dictis inferitur 1. quod consensus, qui est de substantia matrimonii, nec implicitè sit consensus in copulam, ex n. 803. deinde, quod idem componi possit cum consensu, & obligatione voti ad servandam castitatem in conjugio quod voluntas conditionis (si ex voto servaveris castitatem) etiam in principio contractus appositæ, non sit contra substantiam; quia non impedit efficacem translationem dominii in corpus ad copulam, ut supponit Sanchez nobis contrarius lib. 5. hîc D. 10. n. 3. constat ex num. præcedenti. 4. ex matrimonio contracto sub conditione (ex voto servandi castitatem) in conjugibus non sequi obligationes ad opposita, sed tantum obligationem reddendi debitum conjugii petenti ex jure non vinculado, & negandi debitum, petenti ex jure vinculado, quæ non sint opposita, ut patet in exemplis allatis supr.

Hinc ulterius advertendum, quod, licet jus conjugum, nascens ex contractu conjugali, sit jus utendi copulâ, quin talis actus in re sit peccatum fornicationis, non tamen sit jus utendi copulâ citra omne peccatum in qualibet suppositione. Sic, licet vir, qui post simplex votum castitatis, illicitè, sed validè contraxit matrimonium, non committat peccatum fornicationis petendo, & exercendo copulam cum uxore, & hoc ex vi juris conjugalis, quo, hoc ipso, quod copuletur suæ, immunis est à fornicatione, non tamen excusatur à peccato contra votum. Similiter, licet vir, vi juris conjugalis excusetur à malitia fornicationis, utendo copulâ cum suâ, etiam in circumstantiis, in quibus prævidet propter nimiam suam immoderantiam, uxorem inde subituram tali tempore (v. g. dum est gravissimè infirma) ingens periculum vitæ, aut diuturnæ infirmitatis; non tamen excusatur à malitia contra charitatem, imò & justitiam. Nulla enim mulier, dum nubit, jus naturale, quod

quod habet, ne ex viri nimiammoderantia in usu juris conjugalis, cadatur periculose in corpore, à se unquam abdicat, ex hoc, quod nubat.

807. Ex hoc autem sequitur, quòd quilibet conjugum, licet habeat *ius justitiæ*, utendi debito conjugali *quoad substantiam* circa peccatum fornicationis *in re*; simul tamen habeat *obligationem justitiæ*, non utendi debito conjugali, *hoc vel illo modo*, quem scilicet recusat jus existens in altero, ne fiat hoc vel illo modo, v.g. *Tunc*, quando inde is, qui debitum reddit, *Et redde* quoad *substantiam tenetur*, ex actu *tali modo reddito*, vel *admisso* gravissima mala pati cogeretur. Unde quando in contractu matrimonii adjicitur conditio (*si non tenetur, in prædictis circumstantiis, redde* re debitum) non apponitur conditio contraria substantiæ matrimonii, etiam si (*ly non tenetur*) ponatur *ex voto*, vel *pacto justitiæ obligationem inducente*; consequenter per ejusmodi conditiones non vitari matrimonium; quia ex hoc solum sequitur, quod quis vi juris sui possit uti *copula, quoad substantiam*, & obligetur non uti, *tali modo, loco, tempore*; hæc autem contraria non sunt; ergo. Sic Castropalaus D.2 de Sponsal. p. 11. §. 4. n. 6. cujus ratio est, quia *habere ius justitiæ* ad faciendum aliquem actum, & *obligationem justitiæ* non utendi eo jure, non sint contraria, potest enim dominus rei, pacto seu contractu legitimo sibi usum sui juris æque ac voto, aut fidelitate interdiceret. Ex hoc deducitur, non esse contra substantiam matrimonii, si conjuges contrahant adjuncta conditione, *ex pacto mutuo servandi continentiam*; sic enim aliud non sequitur, quam quemlibet eorum habere jus ad copulam, sed *vinculatum pacto, non utendi eo jure*.

808. Si dicas, ex hoc sequi, quòd quis in hac suppositione, *utendo jure suo per copulam* alteri faceret, & non faceret injuriam; *non faceret*; quia nemo utendo jure suo, facit alteri injuriam; *faceret*; quia ageret contra obligationem justitiæ, pacto inductam de non utendo jure suo: deinde, sic uxor *ex justitiâ teneretur*, Viro petenti, *debitum reddere*; cum ad hoc obligetur ex jure conjugali, quod inducit obligationem justitiæ, & *ex justitiâ* posset Viro petenti negare debitum, consequenter *non*

Tom. IV.

teneretur ex justitiâ Viro petenti *debitum reddere*; quia vi pacti acquisivit jus, eidem negandi debitum petitum.

Resp. nego sequelam; dico enim, quòd in hoc casu alteri tantum *faceret* injuriam violando pactum de non utendo jure suo. Ad hujus probationem Resp. 1. cum dist. *nemo utendo jure suo non vinculato* (seu ligato lege, aut pacto voluntariè inito) *alteri facit injuriam*. *Utendo jure suo vinculato* N. in hoc autem casu, jus utendi corpore alterius per copulam, est *vinculatum pacto mutuo*, ut ponit casus; ergo. Deinde Resp. Negando universaliter illud principium: *nemo utendo jure suo facit alteri injuriam*. Nam hoc in multis fallit, ut ostendi in tractatu Theologico, de jure & justitiâ q. 1. qui enim post Sponsalia ritè contracta cum Berta, nec legitime dissoluta, contrahit de præsentibus cum Caja, Bertæ facit injuriam; & tamen, contrahendo cum Caja, utitur jure suo, seu potestate juridicâ; mirum sibi constitutâ favore legis tali contractui tribuentis valorem juris. Similiter qui manè Titio vendit equum accepto pretio, spondens equi traditionem (à meridie, & sub hoc accepto pretio vendit, & tradit Cajo) Titio facit injuriam; & tamen utitur jure suo, dum venditionem, ac traditionem facit Cajo; aliàs enim non transtulisset dominium equi *validè* in Cajum, si actus non procederet à jure, quod habet, *vendendi equum validè* etiam in hoc casu.

Ad idem argumentum in num. 808. 809.

Resp. 2. solum sequi, *uxorem* in eo casu *ex justitiâ teneri* Viro petenti *debitum reddere*, *nullâ factâ suppositione pacti*, vel *voti*, & *non teneri ex justitiâ, factâ suppositione pacti*; quæ non sunt opposita, ut rectè notat Castropal. *cit. num. 7*. Jus conjugale in quolibet conjugum parit obligationem justitiæ alteri petenti reddendi debitum, *nullâ suppositione factâ, non autem factâ suppositione* v. g. obligationis voluntariæ, quam habens tale jus, sibi liberè imponit, non utendi eo jure; vel periculi gravissimi tunc nascituri ex usu juris.

Hinc etiam negandum est, per conditionem (*ex pacto, vel voto servandi castitatem*) impediri translationem dominii in corpus alterius ad usum conjugalem; nam voluntas constituendi jus alteri

Dd

ad

ad talem usum componi potest cum obligatione actuali non utendi eo jure, ut ostensum est; & dicitur infra. Unde licet conjuges supposito voto, vel pacto, de castitate servanda, non possint uti jure suo talem usum componendo cum voto, vel pacto, nisi peccent; non propterea tale jus esset frustraneum. 1. quia adhuc utile esset, si contra votum uterentur jure suo; nam ex vi talis juris ille usus non esset fornicarius. 2. satis est, quod inutilitas illa non sit illis imposita ex necessitate ipsis non liberâ, ut patet in aliis juribus, & potestatis, voluntario vinculo impeditis, non per se, sed per accidens, & solum ex suppositione.

810. Ex his sequitur 1. non vitari matrimonium apposita conditione ab uno conjugum (si te obliges ad non petendum debitum) quia cum hac obligatione non petendi, stat voluntas alteri tradendi corpus ad usum conjugalem; voluntas enim conditionis solum exigit obligationem non utendi jure petendi; ita Sylvester. V. matrimonium 4. q. 7. sequitur 2. idem dicendum in casu, quo contrahitur sub conditione, ne quis dependenter à pacto cogatur debitum reddere. Nam hæc conditio solum excludit voluntatem utendi jure petendi ex suppositione alterius consentientis in pactum non reddendi; non autem voluntatem illi dandi jus absolute, & independenter à suppositione consensûs in pactum; ita Pontius lib. 3. bec. 11. d. n. 11. Sensus est, etiam valere matrimonium, si Titia contrahat matrimonium cum Cajo sub conditione, si Cajo se obliget pacto inito, non utendi jure ad copulam; consequenter nec utendi jure, quo aliâs obligare possit Titiam, ut reddat debitum. Et quamvis alicui visum sit, quod Pontius hunc casum loco cit. non habeas; verum tamen est hunc authorem in cit. loco num. 11. viam ostendere ad numeros sequentes, ubi eum tenet. Nam in n. 13. proponit hunc casum: an valeat matrimonium: *contrabo tecum, si ego minime teneor debitum reddere, quoties tibi non licet exigere*, & num. 14. respondet, *valere*: hic autem casus idem est cum illo, quem supra posui, nam, *contrabo tecum, si pacto inito, nolis uti jure copule*; vel *contrabo tecum, si dependenter à pacto non*

utendi jure copula non teneor reddere, ac: contrabo tecum, si ego minime teneor debitum reddere, quando tibi non illius pacti non licet exigere, in re idem sunt.

Utrumq; casum negat Sanchez; primum, lib. 5. D. 10. num. 4. alterum eod. lib. 5. D. 11. num. 2. cujus ratio est. 1. quia de ratione matrimonii est *totalis* traditio corporum, ex qua dimanet mutuum, & æquale jus ad corpus alterius; sed in illis casibus hoc non contingit. Nam in primo non traditur *ius petendi*; in secundo autem non est *ius æquale*. Unus enim haberet jus petendi, & reddendi; alter autem, solum petendi. Sed Resp. concedendo per contractum matrimonii cuilibet conjugum constitui debere jus petendi & reddendi debitum absolute; sic scilicet, ut usus corporis alterius, seu copula sit eo ipso *immunis à malitia fornicationis*; cum ex vi illius juris sit usus, & copula *cum coniuge suo*; negari tamen, per matrimonii contractum cuilibet conjugum constitui debere jus petendi, & reddendi sic, ut talis usus corporis alterius, seu copula sit *immunis ab omni malitia in quacunque suppositione* v.g. legis tunc copulam inhibentis; voti, aut pacti, de non utendo jure suo. Primum autem in utroq; casu stat, ut patet consideranti: & secundum non requiritur, ut ostensum est: Castropal. cit. d. 2. p. 11. §. 4. n. 7.

Confirmari potest hoc totum ex ca. 810. su, quo matrimonium contrahunt, vir, & mulier, scientes se obligatos voto simplici servandæ castitatis, nam hoc non obstante valide contrahunt, licet neuter alteri constituat, aut constituere possit jus ad copulam stante voto exercendam active, vel passive *contra malitiam peccati contra votum*; & quamvis uterque sciat alterum actu obligatum, *ad non usum inris* sibi nascentis ex eo contractu valido; adhuc tamen non impeditur translatio juris mutui in corpus alterius, prout requiritur: ergo potest alicui constitui jus plenum petendi & reddendi debitum absolute, stante obligatione illo non utendi; ergo sicut hæc obligatio, sic voluntas eam deducens in pactum, stare potest cum voluntate efficaciter transferente jus in corpus suum per usum conjugalem.

Ratio-

813. Rationem dat Pontius cit. num. 12. dicens: ideo ibi non obstat, quia talis obligatio antecedit contractum matrimonii, pro casu, quo contrahunt post simplex votum castitatis; Verum etiam conditionis impletio (in casu, quo talis obligatio assumitur pro conditione, sub qua contrahitur) antecedit contractum, sub ea conditione celebratum; cum natura prius sit conditionem impleri; undè sicut ibi, ita hic prius, quam contractus sit absolutus, ulus matrimonii est impeditus; ergo si hoc non officit, nec officiet istud.

814. Hoc ulterius confirmat Pontius cit. ex doctrina P. Sanchez lib. 5. hic D. 9. ubi docet, quòd matrimonium non evadit irritum, quando conditio, ejus substantiæ contraria, adjicitur *suspensivè*, suspensio scilicet contractu, donec ea conditio eveniat; cujus rationem dat, quia in hoc casu matrimonium non concurret cum conditione, sed conditio prius impleri debet, quam sit matrimonium. Unde subsumit Pontius: sed etiam in casu, quo obligatio talis conditionis implendæ ponitur pro conditione, sub qua contrahitur, conditio prius impleri debet, quam sit matrimonium; cum hoc esse non possit ante conditionis eventum, à quo consensus pendet; ergo nec obstat, si sub conditione ponitur obligatio de præsentibus.

815. Sed revera, si loco cit. attentè legatur Sanchez, expressè docet vitiari matrimonium, etiam si conditio repugnans ejus substantiæ adjiciatur *suspensivè*, eò, quòd etiam in hoc casu inducat obligationem repugnantem matrimonio, quod sub conditione talis obligationis (v. g. *non petendi, non reddendi debitum*) contrahitur. Nec juvat Pontium in hoc casu paritas desumpta ab his, qui scientes obligationem voti prius emissi, nihilominus contrahunt *validè*. Nam in hoc casu *præsens obligatio* voti consensus substantiale in matrimonio non antecedit *solo signo*; sed *tempore*; atque adeo consensus in conditionem repugnantem substantiæ matrimonii, & consensus in ipsam substantiam matrimonii (qui ponuntur esse consensus circa idem contrarii) *non sunt simul tempore*: scilicet, licet unus sit in priori, alter in posteriori signo naturæ, hoc enim non obstantè adhuc sunt realiter in eodem

Tom. IV.

instanti. Nam signorum diversitas non tollit repugnantiam ad coexistendum simul tempore.

816. Rectius ergo dici nobis videtur, consensus matrimonii substantialem, ideo non everti per consensus in hujus conditionis adjectionem (*si te obliges ad servandam castitatem*) quia consensus ad habendum ius utendi alterius corpore per copulam, & consensus in obligationem ad non utendum eo iure, nec ratione sui, nec ratione objectorum sibi contrariantur. Nam nullus eorum fertur in objectum, alterius objecto contrarium, sive consensus consideretur, in quantum constituit alteri jus in suo corpore, ad illo conjugaliter utendum; sive in quantum est acceptatio talis juris sibi vicissim constituti ab altero, licet ab utroque conditio (*si te alliges ad non utendum eo iure*) in ipso tali consensu adjiciatur. Nam habere ius ad utendum aliquare, & dependenter à sua libera voluntate habere obligationem ad non utendum eare, contraria non sunt, ut patet in exemplis allatis.

817. Si dicas; ergò nec ista conditio contractui adjecta (*si tibi liceat etiam aliis carnaliter commisceri*) vitiabit matrimonium. Resp. nego illatum; quia qui sibi vult licere carnalem commixtionem cum aliis, non suis, habet voluntatem contrariam illi, qui se obligat, ad se non commiscendum carnaliter *nisi cum suis*; sed hæc voluntas est de substantia matrimonii; ergo apponens eam conditionem, habet voluntatem contrariam illi, quæ est de substantia matrimonii; ergo vitiat matrimonium. Similiter si quis diceret (esgo tibi constituo jus conjugaliter utendi meo corpore, *si talis usus sit fornicatio*) apponeret hoc ipso conditionem contrariam substantiæ matrimonii, ut rectè notat Pontius cit. c. 11. num. 4. Nam vir per copulam cum muliere non committit fornicationem *in effectu*, quando copulatur *sue*; hic enim est effectus juris conjugalis, quo mulier evadit *Uxor Viri*; & copula (etiam peccaminosè habita cum Uxore sua) est in re *conjugalis*, non *fornicaria*; quare volens, ut copula sit fornicaria, excludit *suitatem* corporis, quo per copulam utitur, consequenter voluntatem, cujus objectum sit ea *suitas*, seu *ius coniugale*.

Dd 2

gale,

gale, quæ tamen voluntas est de substantia matrimonii.

818. Sequitur 3. hanc conditionem contractui appositam (*si non tenebor tibi debitum reddere, quoties tibi non licet exigere*) non esse contra substantiam matrimonii, quando sensus est, quoties tibi *jure* non licet exigere; ut contingit in casu, quo conjugum adultero innocens *jure* negat debitum, vel si petat in loco sacro; ita Sanchez. *cit. lib. 5. D. 11. num. 3.* Caterùm, extra hos casus, idem Author *cit. num. 2.* negat, valere conditionem, & matrimonium non vitari, si ea conditio sumatur *universaliter*, in hoc nimirum sensu: *si non debeam reddere debitum, quoties tibi non licet exigere*; eò, quod multi possint casus occurrere, in quibus vir petendo peccet mortaliter, & tamen uxor negare non possit. 1. si vir ligatus voto castitatis, vel animo fornicario, vel dubius de valore matrimonii petat, uxore certâ de valore. 2. quia conditio auferens jus justitiæ in corpus alterius est contra substantiam matrimonii, sed hoc facit ea conditio; Ergo.

819. Verùm oppositum probabilius est; quia nulla datur darive potest obligatio ad cooperandum alterius actui, qui *numquam fieri potest ab eo, nisi malè, seu illicitè*; aliàs daretur obligatio ad peccatum: sed ligatus voto castitatis, stante tali voto, nunquam petit licitè, nec eam petitionem in hoc casu facere potest, nisi malè; ergo in tali casu alter non habet obligationem illi cooperandi, quod tamen fieret, debitum reddendo. Cùm autem certæ sint circumstantiæ, ubi conjugibus clausis in loco sacro etiam petere licitum est, prout traditur ad sextum præceptum decalogi, eo quidem casu alter reddere tenebitur; sed non extra illas, ubi petere prohibitum est, ita, ut non possit, nisi malè fieri. Undè cùm copula fieri possit inter conjuges *sine animo fornicario*, eo ipso, cùm taliter sit, non ita fit, ut non possit nisi malè fieri, quo casu reddens non cooperatur imputabiliter alterius actui malo, ut non possit non malè fieri.

820. Ad secundum Resp. datâ maj. N. min. nam ea conditio nec aufert, nec impedit ipsum jus justitiæ; sed tantum ejus usum, ut sæpè dictum est; hinc nota; jus justitiæ

non consistere in facultate, alios in suum commodum *utcumq;* obligandi, ne in usu ejusmodi juris, illud habens, impediatur, sed solum, ne in usu, qui est juxta legem juris constitutivam, & intrinsecam; non autem, in usu, qui est contra legem juris non constitutivam, & extrinsecam. Certum est autem jus justitiæ frequenter constitui per legem, quæ tribuit valorem actui, quin excludat legem præcisè prohibentem talem actum: ergo fieri potest, quòd quis *jure* faciat actum, in quantum est juxta legem præcisè prohibentem juri extrinsecam. Et ideo (licet conjunx ligatus voto castitatis, carnaliter cognoscat conjugem) uritur *jure*, in quantum talis actus est juxta legem juris conjugalis constitutivam, quâ copula eximitur à malicia fornicationis, & evadit conjugalis, & simul, in quantum est contra legem præcisè prohibentem illum actum, stante voto, ratione cujus copula tunc est sacrilega, non tamen fornicaria.

Ad illud, quod additur, *conjugem certum de valore matrimonii, debere debitum reddere alteri petenti, sed dubio de valore matrimonii, esto tunc illicitè petat.* Resp. non teneri, stante illo dubio in petente, ac sibi persuadente, se peccare petendo. Ratio est eadem, quæ *num. 819.* quia, cùm eo casu petitio non possit fieri, *nisi malè*, nequit obligari ad cooperandum tali actui; & ideo multi dicunt, contractui, quo conjuges se mutuo obligant, ad jus copulæ præstandæ, tacitè inesse hanc conditionem, *si fieri possit licitè*.

Et ideo conditio contractui conjugali apposita *ab usu conjugali* certis diebus (*v. g. sextis feriis*) abstinendi, non est contra substantiam matrimonii, quod sequitur à fortiori; cùm nec conditio ex voto, *semper abstinendi* usu juris conjugalis sit contra substantiam matrimonii, ut hætenus dictum est, & tenet Pontius *cit. c. 11. num. 17.* Accedit, quòd nullâ ratione contrarium sit conjugio decretum, concedens jus, primo bimestri (quod conceditur pro deliberatione de ingressu Religionis) non consummandi matrimonium, atque adeo nec votum.

Quæres, an quandò conditio contraria substantiæ matrimonii apponitur ab uno tantum, vitietur matrimonium? Quatuor sententiæ in hac materia refert Sanchez cit. lib. 5. hic d. 13. ubi Prima docet, non vitari matrimonium, si eam apponat uterq; contrahentium; Secunda, vitari matrimonium, valere tamen in vim Sponsalium; Tertia, nec matrimonium, nec Sponsalia eo casu nasci: Quarta, valere matrimonium secutâ copulâ; non autem secus. Primam, & Quartam Sanchez cit. num. 5. censet valde probabilem: tertiam, ceteris probabiliorẽ; quod omninò tenendum videtur; quia impossibile est, stare contractum, stante aliquo illius substantiæ contrariante; sed si conditio est contraria substantiæ matrimonii, manet contraria, licet ab uno tantum adiciatur; accedit, quòd nunquam contrahentium voluntates uniri possint, quando unus consentit purè, alter sub conditione contrariâ substantiæ matrimonii; ergò: sic Castropalaus de Sponsalibus D. 2. p. 11. §. 4. num. 9.

§. 8.

Quid in desponsationibus operentur conditiones turpes?

Ante resolutionem not. in foro conscientiæ standum intentioni contrahentium; in foro autem externo, quando sciri non potest, quo nimirum animo ejusmodi conditiones adjectæ sint? decisionis juris, ut notavimus n. 761. Not. 2. in eiusmodi casibus dubiis, conditiones turpes, dispositione Juris Canonici, haberi pro non adjectis, quando apponuntur in contractu matrimonii; consequenter, iudicandum, contractum purò celebratum, nimirum consensum contrahentium non fuisse alligatum conditionis eventui, ut constat ex c. fin. b. t. ibi: licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem (intellige matrimonii) pro non adjectis haberi. Hæc tamen regula limitatur, ut non procedat, si conditio turpis simul sit contraria substantiæ contractus. Tunc enim non reiiicitur, nec vitatur, sed vitat contractum; qui enim efficaciter vult aliquid contractui contrarium, ne-

quit efficaciter velle contractum. Accedit ratio à nobis allata in supra dictis. Nam ubi conditio est contraria substantiæ actus, non est dubium de intentione eam apponentis. An autem, & qualiter reiiiciantur conditiones turpes de præsentis, vel præterito, quando non sunt contrariæ ipsi substantiæ talis contractus, constabit ex dicendis in sequentibus.

Dices: hæc conditio in contractu matrimonii apposita (si te adulterandam prostituveris) vitat matrimonium, & non reiiicitur, licet inducat conficientes Sacramentum ad peccatum faciendum, consequenter licet sit conditio turpis; ergo & ista: v. g. si furari mecum volueris. Resp. in casu, (si ponatur sub obligatione adulterium) consequenter ubi ea conditio est contraria substantiæ matrimonii, omnino vitari contractum, & non reici; quia tunc non est dubium de contrahentis intentione, cum ponatur contraria substantiæ finis directè quæsitæ, nempe matrimonii; hæc autem ratio locum non habet in casu, quo dubitatur de intentione apponentis conditionem turpem, sed non contrariam ei fini, licet ponatur sub obligatione, si mecum furari volueris; hæc enim non est contraria obligationi conjugalis fidei; sicut foret obligari ad adulterandum.

Quæstio est, an si in desponsationibus apponatur hæc conditio: si mecum concubueris, contractus sit purus reiectâ conditione, tanquam turpi? 2. si te Virginem reperero; 3. si in primo concubitu mihi placueris? Ad 1. respondet P. Sanchez lib. 5. hic D. 16. num. 4. si contractus celebratur per verba de præsentis sub illa conditione: si admisseris copulam, vel concubitum, & conditio intelligatur de copula turpi, seu extraconjugali, conditionem reici, & statim esse matrimonium; si verò de conjugali, impletâ conditione, perfici matrimonium.

Verum universaliter dicendum est, eam conditionem rejici tanquam turpem, quando non intelligitur de copula permittenda post matrimonium contractum, seu post conditionem purificatam; Nam omnis concubitus Viri, & femine, qui fuit, antequam matrimonium sit absolutum, est non conjugalis, consequenter

turpis, & illicitus; sed copula, quæ deberet purificare consensum illum conditionatum, per verba de præsentem, est non conjugalis; prius enim est *conditionem esse*, quam *esse matrimonium* prius contractum sub conditione. Sic Castropal. lib. 2. de sponsal. D. 2. p. 11. §. 4. num. 3. & seq.

827. Ad 2. Resp. si hujus conditionis sensus sit: *si te virginem reperero per justam, & licitam indaginem*, contractum suspendi ad conditionis eventum. Tunc enim est conditio honesta de futuro; si autem sensus sit, *si te invenero virginem exploratione turpi* v. g. per copulam, rejici tanquam turpem; ex num. 823. Ad 3. Resp. similiter eam conditionem rejici, ut turpem, quia conditio continet turpitudinem in modo explorandi.

828. Questio altera est, an sicut in matrimoniis, ita etiam in Sponsalibus, conditiones turpes habeantur pro non adjectis? Resp. dupliciter fieri posse conditionis turpis adjectionem, sub conditione obligationis ad actum, vel omissionem turpem faciendam. 2. seclusâ obligatione, præcisè sub conditione, executionis turpis operis. In primo casu conditio est impossibilis; non enim dari potest vera obligatio ad peccatum; inde de hoc casu discurrendum erit, sicut de conditione impossibili matrimoniis adjectâ, de quo dicemus infra: in secundo autem casu spectatâ ratione, & jure, videtur non rejici, sed suspendi in Sponsalibus de futuro, quia ratio pro matrimoniis allata num. 761. in qua diximus fundari decisionem capituli finalis hoc tit. non habet locum in Sponsalibus de futuro; hæc enim non sunt contractus Sacramentalis. Deinde, licet Sponsalia de futuro sint quasi inchoatum matrimonium, tamen quod jure disponitur in matrimonio, non extenditur in omnibus casibus ad Sponsalia, 3. quia dispositio *c. fin.* est odiosa, restringit enim jus naturale, quo conditiones turpes de futuro suspendunt; cum ergo dispositio exorbitans à jure naturali, vel divino, aut etiam humano, restringenda sit, ut dicitur in regulâ: *Quæ à jure communi, de regulis iuris in 6. & jus Ecclesiasticum in c. fin.* solum loquatur de matrimoniis, extendi non debet, ut sicut in matrimoniis, ita etiam in Sponsalibus rejiciatur conditio

turpis; sed potius censeatur adjecta suspensivè, nimirum juxta id, quod est juris naturalis, præsertim, cum ea dispositio facta sit solum favore matrimonii, quoniam non gaudent Sponsalia; sic Petrus de Ledesma, de matrimonio q. 47. a. 5. ad fin.

Sanchez tamen lib. 5. hic D. 17. n. 2. docet, conditiones turpes de futuro, pariter à Sponsalibus, ac à matrimoniis rejici, & ab hac opinione, propter communem consensum Doctorum, quos ibidem copiosè refert, non esse in praxi recedendum. Mihi omnino videtur, quando prudenter dubitatur, quâ intentione talis conditio turpis adjecta sit? conditiones turpes, quæ concipiuntur in futurum, etiam in Sponsalibus habendas esse pro non adjectis. Ratio est, quia etiam in tali casu rectius præsumitur, quod adjectæ sint, solum adiectione reflexè conditionatâ, si non sint turpes; malum enim etiam in dubio præsumi non debet, maxime in conventionibus super celebrando contractu, qui obligat ad statum vitæ perpetuum, ac humano iure vix, aut non nisi gravissimis de causis solubilem, qualis est status perpetuæ servitutis in conjugio, ad quod fiunt Sponsalia.

Ad rationes in contrarium Resp. ad 830. 1. esto in Sponsalibus de futuro conventio super conditione turpi adimplendâ non inducat ad peccatum in celebratione contractus Sacramentalis; tamen vi *c. fin.* rectè concludi de Sponsalibus, ex eo quod sint conventio super celebrando contractu Sacramentali, trahente perpetuitatem statûs insolubilis, eodem modo iudicandum esse; adeoque etiam in his quando prudenter dubitatur, quâ intentione talis conditio turpis adjecta sit? meritò præsumi, adiectionem illam esse reflexè conditionalem. Ad 2. Resp. à nobis in hoc casu non fieri extensionem, sed solum inclusionem huius quoque casûs sub illa decisione, quâ Pontifex voluit, in casu dubii de animo conditionem turpem adicientis, à Judice pronuntiandum in favorem matrimonii, nimirum adiectionem illam solum fuisse conditionalem, ut dictum est, & dicemus in seqq. Ad 3. respondet Sanchez. cit. num. 3. concedendo, dispositionem iuris correctoriam, non esse extendendam ad casum similem, quando est in poenam, seu odium alicuius contra-

831. Quis, non autem, quando est solum declaratoria voluntatis; negando autem eam *c. fin.* dispositionem esse in penam vel odium alicujus, sed solum in declarationem voluntatis propter favorem matrimonii, & promissionis illud celebrandi.

832. Responderi etiam potest, negando illam dispositionem esse odiosam seu correctoriam; quia non statuit matrimonium eo casu *purum esse*, licet consensus conditioni turpi de futuro alligatus sit; sed tantum in casu, quo dubium est de intentione illam adjicientis, & certitudo haberi de hoc non potest, Judicem in judicando debere pronuntiare, adjectionem fuisse conditionalem sub conditione *si turpis non sit*; atque adeo judicandum, cum in tali casu conditio non subsistat, consensum esse purum seu absolutum, seu illius eventui futuro non fuisse alligatum.

833. Ad id, quod dicitur, Sponsalibus non concedi eundem favorem qui conceditur in matrimonio, Resp. verum esse, causam matrimonii favorabiliorem esse, causam Sponsalium de futuro, praesertim, quando agitur ad dissolutionem. Nam, in horum dissolutione non subest periculum animae, sicut in dissolutione matrimonii: tamen ubi praesertitur regula servanda in judicando ex praesumptione pro voluntatis declaratione, in dubio de intentione contrahentium, recte iudex interpretatur in hoc casu sibi servandum esse processum ex praesumptione, quod etiam in Sponsalibus adjectio conditionis turpis fuerit conditionata, propter rationem in *n. 828.* factam.

834. Not. autem notanter nos loqui, de casu, quo *dubitat*, quā intentione conditio proprie dicta, quae turpis est, adjecta sit? nam si revera constaret, apponentem alligasse intentionem illius eventui, sic, ut aliter noluerit se obligare, non foret rejicienda; sed haberetur pro suspensivè adjecta, & Sponsalia non forent pura, nisi posito conditionis eventu, & tali casu promittens teneretur praestare promissum, supposito nimirum turpi opere jam impleto. Quando autem prudenter judicari possit haec alligatio voluntatis, constabit in simili ex dicendis *num. 835.* Hinc deducitur à Sponsali incurrì impedimentum publicae honestatis ex Sponsalibus de futuro sub conditione turpi, quan-

do haec à Sponsalibus est rejecta, imò etiam, si adjecta sit suspensivè, & conditio est implera. Ratio prioris est, ex dict. à *n. 196.* nam tali casu Sponsalia sunt pura; ratio secundi est eadem.

§. 9.

Quid in desponsationibus operentur conditiones impossibiles.

834. Resp. conditiones *impossibiles*, adjectas contractui conjugali; ex dispositione Juris Canonici vitari, seu haberi pro non adjectis, hoc est perinde, ac appositae non essent, in casu quo non constat, sed dubitatur, quā intentione adjectae sint? Ratio desumitur ex *c. fin. h. t.* à nobis relato sup. *n. 823.* Not. autem illius dispositionis non esse sensum (*valere matrimonium, sive adsit, sive absit consensus contrahentium, sub tali conditione*) nam matrimonium esse non potest, sine vero consensu contrahentium, cujus defectum supplere non potest Ecclesia: *sed solum, in casu quo dubium est, quo animo adjectae sint? Judicem debere pronuntiare; consensum perinde datum esse, ac si appositae non essent;* consequenter eas esse appositae adjectione reflexè conditionata, nimirum: *si revera impossibiles non sint; sic enim prudenter decernit Judex, consensum esse purum; cum cuilibet constare possit, consensum absolutum esse, qui sub conditione datus est, conditione purificatā, seu subsistente.* Tota porro difficultas est, ex quo capite hoc statuere prudenter potuerit Ecclesia in matrimonii? cum in omnibus aliis contractibus, & dispositionibus (distinctis ab ultimis voluntatibus) non rejiciantur, sed vitient contractum, aut dispositionem; eò quod sint clarum signum dissensus in objectum, in quod externè consentitur sub conditione futuri eventus cognitā, quod nunquam evenire possit.

835. Ante resolutionem not. quod illa dispositio in *c. fin.* directè tendat ad *Judices*; indirectè autem ad *omnes Christianos* conditionatum matrimonium contrahere volentes; ad *Christianos*, ut conditiones turpes, & impossibiles non apponant conjugali contractui voluntate sic earum eventui alligatā, ut nolint consensum suum vim, & effectum habere, nisi talis condi-

conditio eveniat; ne in re tanti momenti, qualis est contractus Sacramentalis, ac ejus in futurum celebrandi promissio potius nugari, vel in re nolle agere, quod agunt, judicentur, magno communiter animarum detrimento; cum Ecclesia declaret eas in dubio reiiciendas: *ad Judices* autem, ut in dubio (quo animo appositae sint? veritate legitimis iudiciis non comperibili) pronuntient, eas non appositas, nisi adiectione conditionata, ut saepe dictum est, nimirum sub conditione tacite reflexa, *si turpes, aut impossibiles non sint*; quod sane in tali casu Ecclesiae, & iudicibus, & Christianis omnibus, & prudenter, & salubriter imponere potuit; quibus positis:

836. Resp. dispositionem *cit. c. fin.* in hoc puncto iuste fieri potuisse, & factam esse. I. quia, in dubio de casu particulari, nemo praesumitur voluntatem suam alligare conditioni, cui communiter, & ordinariè alligari non solet ab hominibus, eiusmodi contractum celebrantibus: sed potius, saltem implicite, ac virtualiter (nisi aliud exprimat) velle illum celebrare iuxta leges talis contractus, licet eas ignoret, hoc ipso quod efficaciter illum inire velit; adeoque ubi homines eiusmodi conditiones apponunt, ab ipsis apponi sub conditione reflexa, *si tales conditiones à legibus sustineantur, & non rejiciantur*. Merito enim praesumuntur velle potius matrimonium etiam sine conditione subsistere, quam deficiente conditione, deficere; ergo qui praecipit, ut iudex in dubio, quae intentione tales conditiones apposuerint? pronuntiet pro tali praesumptione; iuste praecipit, quando causa de se favorabilis est, ut constat ex *c. fin. de sent. & rejudicata*, ibi: *duobus iudicibus diversas sententias proferentibus, si ex iurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro Reo, non pro Actore sententia; nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata*.

Et ideo in hoc casu ab aliis contractibus non rectè arguitur ad matrimonium, vel Sponsalia, quae sunt promissio celebrandi de futuro contractum hunc Sacramentalem; nam illi iure Ecclesiastico non habent titulum eiusdem favoris, ob rationem Sacramenti, vel ordinem ad

illud de futuro celebrandum. Et quamvis verum sit ante constitutionem *c. fin.* & spectata solum rei naturam, matrimonia sub conditione turpi, vel impossibili celebrata, aequè, ac alios contractus fuisse iudicandos, irritos, ac nullos (tunc enim Iudices non habebant fundamentum ex eo, quod contrahentes velint matrimonium, vel Sponsalia efficaciter inire iuxta leges Ecclesiae, in tali contractu praesumendi, eam conditionem adiectam esse sub hypothese reflexa, quod apponentes illam conditionem, saltem tacite, intentionem suam nolint esse illi alligatam, siturpis, vel impossibilis sit) secus tamen est, post dictam Ecclesiae constitutionem in *c. fin.*

Dicendum praeterea in matrimoniis conditionem turpem ac impossibilem (in casu dubii de intentione apponentium) habendam, pro non adiecta, non tantum, quando adiciens *scivit*, sed etiam quando *ignoravit* eius impossibilitatem, vel turpitudinem. Nam etiam in hoc casu merito praesumitur, eos voluisse contrahere, prout debent ex mente Ecclesiae, in re tam gravi, non nisi cum intentione reflexe conditionata, ut dictum est. Si enim Pontifex voluisset eas conditiones reiici solum in casu, quo *scientes impossibilitatem*, sub conditione impossibili contraxerunt, eius constitutio non esset facta *favore matrimonii*, qui antecedenter ei non competeret ex natura rei, vel antecedenter ad eam constitutionem. Nam si scientia de conditionis impossibilitate, ex natura rei potius est signum animi nugantis, & non serid agentis, atque affectus ad eam conditionem inefficacis, voluntas apponentis scienter talem conditionem potius ex natura rei, quam ex jure positivo, id statuentem pro speciali favore matrimonii; operaretur ejus conditionis rejectionem; cuius tamen contrarium asserit Pontifex in *cit. c. fin.* Accedit, quod Pontifex eodem modo ibidem loquitur de conditionibus *contra substantiam actus* (à quibus dicitur vitari) quo loquitur de turpi, ac impossibili: loquens de illa, ac dicens per eam *vitari matrimonium*, intelligitur, ut sensus sit per eam, *etiam ignorata contrahente*, vitari actum; ergo etiam loquens de conditione turpi, & impossibili, ac dicens, illam *rejici à matri-*

matrimonii, intelligitur, ut sensus sit, etiam ignorata turpitudine, vel impossibilitate, hanc rejici.

Hinc specialiter not. 1. In dispositione c. fin. non esse mentem Pontificis, mutare, aut quasi absolvere contractum ab ea conditione impossibili, vel turpi, ex ipsa conditionis; cum hæc sit potius signum dissensus: sed hoc ipso, quod in dato casu, non sint indicia voluntatis simpliciter alligatae talis conditionis eventui, eam non curandam in tali casu, sed habendam perinde ac si apposta non esset; quia hoc ipso, quod efficaciter voluerit inire talem contractum juxta mentem Ecclesiae, & naturam contractus, merito praesumit, talem conditionem ab ipso contrahente non esse curatam, sed tacite potius, ac virtualiter rejectam. Et ideo, cum dicitur, *conditio impossibilis adjecta contractui, est potius signum dissensus: distingui debet, & concedi, si conditio talis apponatur, relicta sua natura; non autem supposita Ecclesiae constitutione, volentis, si contingat, eam apponi, in dubio non attendendam à Judice, cum merito praesumatur nec curatam esse ab illam apponente (nisi aliud explicet) qui contrahendo se conformare voluit Ecclesiae.* Et quia circa alios contractus non est hæc Ecclesiae constitutio, ideo in illis adhuc ejusmodi conditiones manent signum dissensus; quia sic relinquuntur naturæ suæ; cum hi non sint ita favorabiles, sicut matrimonium.

Quando autem dicitur: *Ecclesia suis constitutionibus non potest facere, ut matrimonium sit, quod matrimonium non erat; sed matrimonium contractum sub conditione impossibili, saltem cognita, antecedenter, non erat matrimonium: ergo.* Resp. 1. ante Tridentinum matrimonia simpliciter clandestina fuerunt valida, ex num. 634. quin legitime sequatur: *ergo post Tridentinum non sunt invalida; cujus ratio est, quia, ut hoc fiat, non est necesse suppleri consensum, sed tantum variari decretum, auferendo scilicet, vel apponendo legibus pro talem contractum celebrantibus constitutionem annullantem actum sine tali formâ contrahentibus præscriptâ.* Sic hodie validè contrahitur matrimonium cum consanguinea in 5. gradu,

Tom. IV.

licet olim irritum fuerit, hodie enim sublatum est decretum statuens, 5. gradum pro impedimento dirimente.

Nec inferre licet: *ergo consensus ad hoc purus erit, licet constaret aliunde, quod consentiens conditioni impossibili, quam adiecit suo consensui, alligaverit quoad ejus eventum, qui nunquam futurus est.* Resp. enim N. illatum. Quia constitutio Ecclesiae solum est pro casu, *quo non constat, quod illam adjecerit, curando ejus eventum.* Et in hoc consistit favor, quem pro tali casu Pontifex matrimonio, præ aliis contractibus, præstare voluit, ut scilicet in dubio judicent potius pro ejus valore, seu puritate consensûs, eò quod ipsi consentientes, qui contrahere volunt juxta mentem Ecclesiae, hoc ipso, quando aliud non explicant, censentur conditionem illam saltem tacite non curare, sed rejicere, sicut rejiciendam Ecclesia statuit. Hinc Resp. 2. cum distinct. Ecclesia non potest facere, ut matrimonium sit, quod matrimonium non erat, quando defectus per Ecclesiae constitutiones non est supplebilis, C. Secus, N. nam matrimonia Raptoris cum Rapta olim valida erant, si Rapta sponte consensit, etiam dum erat in potestate Raptoris, nunc verò invalida sunt, ex Ecclesiae constitutione: ergo sicut Ecclesia per suas constitutiones matrimonia prius valida potuit invalidare apponendo impedimentum; sic per easdem matrimonia prius invalida potuit validare, auferendo impedimentum; quod erat juris tantum humani, & in potestate Ecclesiae constituti. Sic olim erat invalidum matrimonium contractum cum consanguinea Sponsa de futuro, etiam ultra primum gradum, secus, hodiè; idque solum Ecclesiae constitutione.

Resp. denique 3. negando suppositum, quod Ecclesia per suam constitutionem in dicto c. fin. intendat facere, *ut sit matrimonium, quod matrimonium non est; hoc enim nullibi à nobis dictum est, ut constat ex num. 836.* Id quod eo loco intendit, & vult Ecclesia, est, quod occurrente casu matrimonii contracti sub conditione turpi, vel impossibili, quin constet, quo animo talis conditio apposta sit? an, ut nisi eveniet, consensus habeatur

E e

beatu

beaturn pro nullo? an, ut habeatur pro non apposita ex mente contrahentis, si consensui obesset? Iudex in foro externo pronuntiare debeat potius pro secundo, quam primo; eo quod præsumptio fiet pro secundo in contrahentibus matrimoniis juxta mentem Ecclesiæ; hoc autem non est, facere matrimonium, quod matrimonium non est; sed tantum resolvere, quid in tali dubio Iudici requisito pronuntiandum sit? prout evenit in aliis casibus, ubi dubitatur de valore vel nullitate matrimonii.

§. 10.

An qualibet conditio impossibilis habeatur pro non adjecta?

842. Prima quæstio est, de conditione impossibili, quæ est de præsentis, vel præterito? v.g. *contrabo tecum, si capite celum tangas, vel tetigisti*. Negativam sequi videtur Sylvester V. *Matrimonium*. 3. q. 1. in fine, dicens: doctrinam suam, quod conditiones impossibiles, ac turpes matrimoniis appositæ (si non sint contra substantiam matrimonii) habendæ sunt pro non adiectis, intelligendam de illis, quæ propriæ sint de futuro; sed contrarium est probabilius. Nam conditiones impossibiles, quæ jure civili rejiciuntur ab ultimis voluntatibus, Jure Canonico rejiciuntur à matrimoniis; sed conditiones impossibiles de præsentis vel præterito rejiciuntur jure civili ab ultimis voluntatibus, L. *Mævia*, 45. ff. de hered. instit. ubi à testamento rejicitur, tanquam impossibilis hæc conditio: *si filia testatoris vivit*, casu quo nunquam habuit filiam; sic Covarr. 4. *Decret.* p. 2. c. 3. §. 2. num. 2. & alii; ergo. Major ex eo est, quod Pontifex non minus favere voluerit matrimonio, quam jus civile ultimis voluntatibus, ut notat gloss. in *cit. c. fin. V. Impossibilis*: ergo si hoc rejicit conditiones impossibiles de præsentis, & præterito in ultimis voluntatibus; easdem etiam rejicit Pontifex in matrimoniis. Accedit, quod constitutio *c. fin.* sit indefinita, consequenter, universalis, ut notatum est in præcedentibus. Nec obstat, quod notat Castropalaus D. 2. de *Sponsalibus* p. 11. §. 4.

num. 5. volens citatæ Legi *Mævia* hic non esse locum; quia in his, quæ pendent à jure positivo, non licet argumentum sumere ad extendendum decretum correctorium, quale est decretum *c. fin.* Negatur enim esse correctorium, ut dixi in præcedentibus num. 831. Nam nullâ lege cautum est, ut Iudex in pronuntiando non attendat, quod ex mente Ecclesiæ rectius præsumitur, stante ceteroquin dubio, an factum hoc vel illo animo contigerit; sed quando matrimonium est contractum sub conditione impossibili, etiam præsentis vel præteritæ, & dubitatur, an apponens consensum suum non aliter valere voluerit, nisi eâ subsistente; an, etiam non subsistente? (ut si adicere non debuisset) non curatur? ergo decretum Ecclesiæ, ut Iudex in dubio tunc pronuntiet pro eo, quod rectius præsumitur, non corrigat ullam legem; præsumitur autem contrahens, juxta mentem Ecclesiæ noluisse conditionem curari, si eam apponere non debuisset; ergo decretum hoc, quod id statuitur, nullam legem corrigat; consequenter non est decretum correctorium, sed simpliciter dispositivum ejus, quod ante dispositum non erat.

Confirmari potest est eo, quia *c. fin.* 843 quo conditiones impossibiles dicuntur habendæ pro non adjectis, non attendit ad rationem conditionis propriæ vel improprie sumptæ, an sit de futuro? an præterito, vel præsentis? sed ad impossibilitatem, quæ reperitur æquè de præsentis, aut præterito, quam si de futuro sit. Unde licet daretur, quod verba juris hic sint propriæ, ac strictè sumenda (quod tamen in causâ specialiter favorabili non procedit) adhuc tamen non verbum conditionis, sed potius impossibilitatis, restringendum foret.

Dices: in hoc casu rejiciuntur con- 844 ditiones impossibiles etiam de præsentis, vel præterito, quia impossibiles sunt; ergo etiam rejiciendæ sunt turpes de præsentis, vel præterito, quia turpes sunt; consequenter non solæ conditiones turpes de futuro. Resp. C. ant. dist. conseq. ergo etiam rejiciendæ sunt conditiones turpes de præsentis, vel præterito, quia utunque turpes sunt, N. quia tali modo turpes sunt, quo consensus in matrimonium fertur

fertur sub conditione operis mali faciendi, vel tacita quadam approbatione mali facti de præterito, vel præsentis C. conseq. Dico igitur, conditiones turpes reici à matrimoniis, & quæ sunt de futuro; & quæ sunt de præsentis vel præterito; sed non ex communi ratione conditionis *turpis utcumq;*: reiciuntur *turpes de futuro*, quia petunt consensum in matrimonium sub conditione mali faciendi à consentiente; *turpes de præsentis vel præterito*, non quia petunt consensum in matrimonium sub conditione mali faciendi à consentiente; sed quia consensus in matrimonium sub tali conditione existente, vel præterita, petit consensum sub ea conditione, qui est quædam approbatio mali vel facti, vel præsentis, quæ est quadam invitatio tacita, seu exemplum etiam aliis complacentie in malo.

ti, vel præterito, & non de futuro: ergo etiam conditiones impossibiles matrimoniis adiectæ, quando sunt de præsentis, vel præterito; & non de futuro. Resp. N. ant. quia conditiones, quæ contrariantur substantiæ matrimonii, vitiatur ex eo titulo, quòd consensus in eas, feratur in aliquid impossibile cum consensu in matrimonium; ergo cum decisio *c. fin.* fundetur in contrarietate consensus in matrimonium cum consensu in conditionem, ubi quæque reperitur hæc contrarietas, vitiatur matrimonium; cum duo consensus contrarii simul esse non possint eodem instanti; & ideo malè supponitur, in dicto *c. final.* disponente vitari matrimonium adiecta conditione repugnante substantiæ contractus, attendi rationem conditionis, & non contrarietatis.

845. Instabis: conditiones impossibiles reiciuntur à matrimoniis, quia utcumque impossibiles sunt; ergò conditiones turpes à matrimoniis reiciuntur, quia utcumque turpes sunt. Resp. N. conseq. disparitas est, quia conditiones impossibiles, relicta naturæ suæ, regulariter signum sunt voluntatis inefficacis; consequenter in eo, qui præsumitur velle matrimonium contrahere juxta mentem Ecclesiæ, præsumuntur merito adiectæ inefficaciter, & sub conditione reflexa, si non sint impossibiles, cum conditio impossibilis, *de facto*, vel *faciendo*, subsistere non possit: at in adjecte conditionem turpem, frequenter fallit, quia conditio talis purificari potest, & subsistere; esto non præsumatur, quoties est de malo faciendo, vel approbatione mali præsentis, vel præteriti; & hoc titulo censetur pariter adiecta inefficaciter; igitur, non reiciuntur, nisi quæ turpes sunt, *turpitudine inducente ad peccatum* exemplo turpis operis facti, vel faciendi; cum sub tali conditione etiam præsentis vel præterita contrahere, sit æque quædam approbatio mali operis facti, quam contrahere sub tali conditione sit *invitatio* quædam mali operis faciendi.

847. Secunda quæstio est, an ut in matrimoniis conditio impossibilis reiciatur, debeat *impossibilitas ei fuisse nota*? affirmativam tenet Sanchez *lib. 5. hic D. 3. à num. 8.* sed contrarium dicendum videtur ex dicto *à num. 837.* Et ita tenet Hauldus, *tom. 3. de Jure, & justitia tract. 8. à n. 277.* id quod procedit etiam de conditione turpi, ex eadem ratione; si sit contra substantiam; cum impossibile sit, efficaciter consentire in matrimonium sub conditione impossibili, cum tali consensu in matrimonium. Si dicas, ergo matrimonium contractum sub conditione, impossibili vel turpi, quam quis possibilem, vel honestam putavit, *in dubio* judicandum erit pure contractum; hoc autem dici non potest, quando conditio aliter est in opinione contrahentis, quam sit in se, ut dictum est; ergo. Resp. C. illatum dist. subsumpt. & concedo, quòd conditio applicata instuat, non prout est in se, sed prout est in cognitione apponentis, quando conditio relinquatur naturæ suæ; juxta dicta supr. non autem, quando supponitur dispositioni juris. Tunc enim apponens, nisi aliud explicet, in dubio censetur eam (saltem tacite) juxta dispositionem legis apponere, nimirum inefficaciter, ut sæpè dictum est supra.

846. Dices. 2. conditio contraria substantiæ matrimonii non vitiat nec irritat matrimonium, quando ea est de præsen-

848. Tertia quæstio est, an à matrimoniis rejiciantur conditiones etiam *jure impossibiles* conceptæ *affirmativè*? Resp. quòd sic: Nam per conditiones *jure impossibiles* intelliguntur *turpes*; sed *turpes* à matrimoniis reiciuntur ex n. 824. ergo etiam *jure impossibiles*, intellige eo modo, quo illæ. Mai. prob. Quia *id possumus*, quod *jure possumus*; ergo quod *jure non possumus*, *jure impossibile erit*. L. *Nepos proculo*. ff. de Verb. significat: conditiones autem *turpes*, *jure non possumus*: ergo conditiones *jure impossibiles* sunt conditiones *turpes*. Et ideo etiam testamentum sub conditione *jure impossibili*, valet, juxta L. 1. ff. de Condit. Instit. L. *Continuus*. §. *Cum quis*. ff. de V. O. Not. autem, hoc intelligi, quando conditio est *jure impossibilis*, vel *illicita pro statu*, quo *stat prohibitio*; secùs, si pro statu, quo licet; vel, quo ambiguum est, eam *jure prohiberi*.
849. Not. præterea 1. à matrimoniis etiam rejici conditiones *impossibiles solum factæ*. 1. ex num. 842. quia dicitio *c. final.* universaliter loquitur, consequenter etiam de conditione solum *impossibili factæ*. 2. quia in matrimoniis reiciuntur etiam conditiones *impossibiles*, vi *c. final.* quæ naturæ suæ relictæ non habent effectum, seu quibus appositis nihil agitur in aliis contractibus, juxta L. *Non solum*. 31. ff. de obligat. Et act, sed tales sunt etiam conditiones *impossibiles de factæ*, imò & valdè difficiles, licet per naturam *possibiles*, ut constat ex dictis; ergò. Nec obstat, quod dicit Castropalaus D. 2. de sponsal. p. 11. §. 3. num. 2. volens in *c. fin.* solas conditiones *impossibiles* per naturam rejici; quia Pontifex censendus est, eas conditiones *impossibiles* rejicere à matrimoniis, quas jus civile rejicit ab ultimis voluntatibus; sed hoc rejicit solum *impossibiles per naturam* ut pat. ex §. *Impossibilis*, Inst. de inutilibus stipulat. ibi: cui natura impedimento est. Resp. enim 1. N. min. ut const. ex num. 842. sic etiam Zoësius lib. 2. Inst. Tit. 14. §. *Impossibilis*. num. 8. Ad prob. ex §. *Impossibilis*, Resp. ibi non dici, per eam solum conditionem *impossibilem*, cui natura impedimento est, inutilem reddi stipulationem, nam ut notat Zoësius in cit. §. *Impossibilis*, num. 19. qualibet stipulatio (exceptis matrimoniis, & ultimis voluntatibus) vitatur ex adjecto, quando continet aliquid *impossibile*, sive *de facto*, sive *de jure*, quòd contrahentes, talem conditionem adiciendo, censeantur ludere. Resp. 2. aliud esse, quod Pontifex omnes & solas conditiones *impossibiles* rejiciat à matrimoniis, quas jus civile rejicit ab ultimis voluntatibus; aliud, quòd omnes, sed non solas, ut in simili dictum est alibi: ergò esto jus civile illas non rejiceret ab ultimis voluntatibus, non sequitur, eas à Pontifice non rejici à matrimoniis; quia Pontifex in definitione sua de conditionibus *impossibilibus* indefinitè loquitur.
- Not. tamen. 2. quando dicimus, 870 conditiones *impossibiles* matrimoniis appositæ rejici, debere intelligi, quando conceptæ sunt, seu adjectæ *affirmativè*. Cum enim, si adiciantur *negativè* (v. g. *contrabo, si non tetigeris cælum digito*) necessariæ sint, consequenter utiles, ex dictis, de illis non est idem sensus; quod tamen limitat Zoësius ad §. *si Impossibilis*, Inst. de Inutil. stipulat. num. 19. ut non procedat de conditione *turpi*, etiam *negativè* adjecta, eò, quod etiam in hoc casu conditio *turpis*, *negativè adjecta*, & in pactum deducta, *turpitudinem* contineat, cum *turpe sit, pro scelere non admittendo, mercedem pacisci, aut pactum accipere*. L. 7. §. *si ob maleficium*. ff. de Pactis. sic ille; licet rectius dicatur, huic limitationi hic non esse locum; quia etsi minus deceat, solum pacto, vel mercede induci ad cavendum, quod legi dissonum est; non est tamen provocativum peccati, vel approbatione mali operis jam facti; vel invitatione mali operis faciendi; aliunde etiam inter conjuges ejusmodi pacta cavendi certa quædam mala, ex quibus concordia conjugalitatis turbari posset, vel minus recta prolium educatio, non raro intercedunt, esto aliunde ad ea declinanda obligati sint.

81. Quarta quaestio est, an à matrimonio rejiciatur conditio ex natura sua possibilis, sed ex accidenti, vel lapsu temporis impossibilis v. g. contraho tecum, si es Virgo, jam prius Virginitate deperditâ; vel si pater tuus consenserit, qui jam ante est mortuus? Sanchez. l. 5. h. c. D. 4. n. 10. censet, primam non reiici, sed si vera est, valere matrimonium; si falsa, viciari: secundam autem, ac ei similes, quarum impossibilitas, seu possibilitas non immediatè, sed longo circuitu potest esse vera, num. 18. censet reiici: dicendam tamen, eiusmodi conditiones, etiam ex accidenti solum, seu lapsu temporis, impossibiles, à matrimoniis reiici: sic Hostiensis in c. fin. b. t. Ratio est 1. quia dispositio c. final. est indefinita, 2. quia què impossibile est, ut Pater in futurum consentiat, si iam mortuus est; quàm ut filia, nunquam concepta, vel nata, vivat; hæc tamen conditio, impossibilis solum ex suppositione rejicitur à matrimoniis, etiam assentiente P. Sanchez. cit. num. 18. ergo. Nec obstat, non possit immediatè, sed longo circuitu discursus cognosci, num ea vera sit, vel non sit? nam hoc ad rei possibilitatem impetinenter se habet, & ex limitatione humana nascitur, non ex natura rei.

82. Deinde Sanchez, ut notavimus supr. num. 847. concedit conditiones impossibiles à matrimoniis reiici, quando eas apponens novit esse impossibiles; non tamen, si putavit possibiles: ergo saltem in eo casu, quo sciens impossibilitatem etiam ex accidenti, & lapsu temporis, ejusmodi conditionem apponit, rejicitur: sed etiam reiicitur in casu, quo possibilem judicavit. Nam, ut rectè not. Haunold. Tom. 3. de Jusl. Tract. 8. num. 2009. conditio, quam testator possibilem judicavit, rejicitur ab ultima voluntate, L. 6 ff. de Condit. Insti. ibi: si quis ita institutus sit, si monumentum post mortem Testatoris, in tri-duo proximo mortis ejus fecisset, Ulpianus cit. cum monumentum in triduo perfici non possit, dicendum erit conditionem evanescere, quasi impossibilem. Ex quo rectè inferitur cum Haunold. cit. per dictum textum manifestum esse, quòd Testatoris opinio erronea de conditionis possibilitate, non sufficiat, ut à jure pro possibili repute-

tur. Et ideo cit. L. Mevia, non rectè exponitur, dicendo, quòd eam Testator impossibilem judicaverit; vix enim prudenter credi potest, aliquem scienter suæ voluntati ultimæ conditionem impossibilem adicere; ergò credibilis est, quòd eam putaverit possibilem; & tamen rejicitur ab ultimâ voluntate; ex quo sequitur non tantùm conditiones naturâ impossibiles, sed etiam, jure tales, ab ultimis voluntatibus, & matrimoniis reiici. Dixi jure tales, nimirùm eas, quas jus impossibiles reputat, ad effectum non suspendendi, vel viciandi contractum, sed potius habendi pro non adjectis. Ad extremum illud etiam nota, hæc conditio (si es Virgo) subsistente valere matrimonium, nec reiici conditionem, cum honesta sit, nec naturâ, nec jure impossibilis; si autem non subsistat (ut si sit corrupta) conditionem esse impossibilem ex accidenti; consequenter etiam jure. Nam si deflorata est, Virgo esse non potest c. si Paulus 32. q. 5. Nam ad preteritum non est potentia, juxta regul. 32. ff. de regul. juris; consequenter ad dicta priori numero, rejiciendam à matrimonio.

§. II.

An hæc conditio: si Pontifex dispensaverit, sit jure impossibilis?

853. Quæstio est, an, quando duo laborantes impedimento dirimente matrimonium, in quo Pontifex, stante causâ sufficiente, ac legitimâ, dispensare solet, in casu quo adest talis causa, contrahere sub conditione: si Pontifex dispensaverit, sit contrahere sub conditione impossibili de jure? 1. sententia affirmat, consequenter contractum esse omninò nullum adeoque cuilibet eorum, etiam altero invito, licere ante conditionis eventum, rescilire. Sic Joannes Andreas c. super eo. b. t. secunda docet, talem contractum sic obligare, ut non liceat ulli, altero invito rescilire, post renovatum consensum, à datâ dispensatione: secus, ante consensum renovatum post dispensationem impetratam. Pro hoc citatur Gutierrez quæst. canonic. lib. 1. c. 22. à n. 17.

Et 3

Sed

854. Sed probabilius est, in casu, quo ad-
est causa, ex qua Pontifex in impedimen-
to tali dispensationem dare solet, eam
conditionem non esse impossibilem. 1. *non natura*, ut per se patet. 2. *non jure*:
quia nullus extat juris textus, quo dispen-
satio, quando pro ea impetranda est suf-
ficiens, & legitima causa, qua Princeps,
vel Pontifex prudenter moveri potest, &
solet, ut annuat petitioni, jure impossi-
bilis habeatur; sic Covar. 4. decret. p. 2.
c. 3. num. 9. & alii communiter. Hinc,
cum dicitur (*conditio dependens à volun-
tate Principis, reputatur impossibilis*) trans-
mittendum est, quando Princeps in eo
impedimento dispensare *non solet*, aut
quando petentes carent causa legitimâ,
non autem secus. Nam quando adest le-
gitima causa dispensandi in impedimento,
quo Princeps potest, & solet contrahen-
tibus sub tali conditione annuere, non di-
citur velle facere, *quod ei non licet; nec
presenti tempore dici potest impossibile*,
quod tale est, ut jure fieri & soleat, & de
jure possit. Ex quo patet ad L. *Continuus*
137. ff. de V. Obl. §. *Cum quis*; quæ à con-
trariis allegari solet.

Hujus autem ratio est ab exemplis.
Nam institutio sparii, sub conditione,
si Princeps eum legitimaverit, valet; nec
instituentis dicitur velle facere, quod ei
non licet, nec ea conditio presentis tem-
pore non impleta, dicitur de jure impossi-
bilis, quando utitur justâ, & sufficienti
causa: idem est de venditione rei feudalis
sub conditione, *si dominus directus vo-
luerit*; de voto Episcopi, transeundi ad
Religionem, *si Pontifex dispensaverit*;
ut rectè notat Sanchez idem sentiens lib. 5.
hic d. 5. n. 12. & tamen conditio pendet à
voluntate Principis. Et ideo nec tunc
ex eo conditio censetur impossibilis de
jure (*quod Princeps difficillimè concedat*)
saltem si præviè necessaria est ad actum va-
lidè celebrandum, pro quo celebrando
adsunt sufficientes, & legitima causa.
Nam promittens in tali casu, duo pro-
mittit, & dispensationem, allegatâ suf-
ficiens causâ petere; & eâ impetratâ pro-
missum implere; neutrum autem horum
etiam in hoc casu, quo ceteroquin Prin-
ceps, difficillimè dispensat, ubi iusta cau-
sa abest, aliquid continet, quod *jure im-*

possibile sit. Nam quod lege concedente,
non tantum validè, sed etiam licitè fieri
potest, non dicitur jure impossibile; sed
lex Principis, ubi adest sufficiens, ac le-
gitima causa in ea dispensandi, non tan-
tum validè, sed etiam licitè ab eo dispen-
sari potest: ergo sic dispensari non est jure
impossibile; ergo nec talem dispensatio-
nem, stante tali causâ petere.

Ex hoc sequitur, esto conditio pen-
dens à voluntate Principis reputaretur
impossibilis, non esse tamen rejiciendam,
etsi, valdè difficilis foret, sed expectan-
dum fore eius eventum, & de præviè
necessaria foret ad valorem actus cele-
brandi dispensatio iustè petita. Nam
promissio sub tali conditione facta est de
duobus. 1. de dispensatione petenda. 2.
de præstando promisso post impletam
conditionem, quæ, cum honesta sint, &
in futurum pendeant, reiici non possunt
tanquam non adiecta, antequam peticio
fiat, etsi magna etiam difficultas cetero-
quin sit in Principe ad annuendum peti-
tioni; ita Sanchez lib. 5. D. 5. num. 12.
concludens ibid. *talem conditionem non
dici impossibilem, nec vi c. fin. reiiciendam;*
cum impossibile ibi sumatur pro eo, quod
naturâ, vel jure impossibile est; sic ille.
Hinc ad alios juris textus, quibus i. sen-
tentia contendit probare, *conditio-
nem, que pendet à voluntate Principis, esse jure
impossibilem*, respondendum est, sicut
num. 854. nimirum si Princeps *nullo modo*
soleat petentibus annuere; non autem
si secus. Et licet in tali casu necessarium
sit medium extraordinarium (nimirum
dispensatio in lege, per quam impediun-
tur contrahere volentes, tali lege non re-
laxatâ) tamen non impossibile, sed solum
difficile est, & accedente obligatione pe-
tendi tale medium à Principe, quando
adest sufficiens & legitima causa; de jure
fieri potest, ut diximus n. 854.

Contrahentes porrò sub conditione
(*si Pontifex dispensaverit* in impedimen-
to, quo laborant) non peccant sic con-
trahendo; quia promissio de petenda
dispensatione (ubi adest iusta causa pe-
tendi, & dispensatio de jure fieri potest,
& solet) vel de contrahendo matrimo-
nio, sublato impedimento, est promissio
de re honesta, & licitè præstabilis,
cum

cum executio conferatur in tempus habile.

87. Ex hoc etiam resolvi potest quaestio, an sint vera Sponsalia, quoties inhabiles promittunt sibi matrimonium, sub conditione, qua posita sint habiles. Casus esse potest, si infidelis matrimonium de futuro promittat fidei sub conditione, *si infidelis ad fidem convertatur*, ubi conditio non pendet à voluntate Principis (nam quid in hoc tenendum? jam constat) sed à voluntate promittentis, adeoque est conditio *potestativa*, cuius nimirum impletio pendet à voluntate ipsam apponentis. In hac quaestione certum videtur, pendente conditione, talem promissionem mutuum non esse Sponsalia; cum nondum sit mutuus consensus perfectus; & ideo ex tali promissione conditionata, pendente conditione, non inducitur impedimentum iustitiae publicae, ut dictum est supr. à num. 196. dixi, *non esse Sponsalia*; per hoc tamen non dicimus, ex ea promissione etiam pendente conditione, nullam omnino nasci obligationem, etiam in vi promissionis, saltem expectandi conditionis eventum, cuius ratio constabit ex infra dicendis n. 862.

88. Quaestio igitur est, an impleta conditione talis promissio obliget in vim Sponsalium, non praestito novo consensu, vel prioris ratificatione? Negativam tenet Henriquez lib. 12. Matr. c. 13. sed affirmativa magis placet; quia licet stante impedimento sint inhabiles ad promittendam praestationem promissi, dum sunt inhabiles (sic enim promissio foret de re illicita) non tamen sunt inhabiles ad promittendam praestationem promissi, tempore, quo sunt habiles. Conditio enim adiecta, obligationem praestandi promissum suspendit in tempus sublatæ inhabilitatis. Nam, *ubi sub conditione contrahitur, nequè cessit, nequè venit dies, pendente conditione* (intellige praestandi promissum) ut dicitur *L. Cedere diem 213. ff. de verb. signif.* ergo impleta conditione, promissio illa mutua de futuro matrimonio, evadit absoluta, cum sit de re praestanda licite: talis autem mutua promissio pura, habet vim Sponsalium, ex dictis q. 1. ergo.

Dices: tempore, quo contraxerunt, 859. & ipsi & consensus eorum fuit inhabilis; & impleta conditione, consensus manet immutatus; ergo etiam impleta conditione manet inhabilis; ergo etiam impleta conditione manet insufficientis ad vera Sponsalia. Resp. illam inhabilitatem nec contrahentibus, nec eorum consensui esse intrinsecam, consequenter inauferbilem; quia nascitur ex carentia, seu defectu conditionis existentis, quod ejus extrinsecum est, & sublato tali defectu auferibile, ut patet in exemplis allatis superius: quo posito, Resp. cum distinctione ant. & ipsi, & consensus eorum, fuit inhabilis *extrinsecè C. intrinsecè. N.* primam partem antecedit. Ex hoc autem patet, secundam partem, simpliciter negandam; vel etiam distingui posse: impleta conditione consensus *intrinsecè*, ac in entitate sua manet immutatus; *C. extrinsecè. N.* quia inhabilitate extrinsecè sublatæ consensus non manet inhabilis extrinsecè; intrinsecè autem nunquam fuit inhabilis: ergo impleta conditione nullo modo est inhabilis, ergo verè mutatus est, sed extrinsecè. Deinde dici potest contrahentes etiam tunc esse inhabiles ad *promittendam praestationem promissi durante*, non autem *ablata inhabilitate* faciendam.

Dices. 2. conditiones, quæ generaliter insunt, non suspendunt, ut ipsi diximus supr. sed non minus hæc: *si infidelis convertatur ad fidem*, tacite, ac generaliter inest connubio fidelis, quam ista, *si non es consanguinea*: ergo si hæc non suspendit, nec illa: sed hæc non suspendit, ut dictum est; ergo nec illa. Resp. quod hæc obiectio tangat eam quaestionem, an valeat matrimonium inter impeditos, pùrè celebratum externè, non expressè conditione, si v. g. *Pontifex dispensaverit?* & in hoc casu dicendum non valere. Nam conditio non expressa inspicitur secundum statum præsentis temporis; ac secundum statum præsentis temporis conditio (*si non simus impediti*) non expressa inter impeditos impedimento præsentis, non subsistit; ergo nec subsistit matrimonium sub ea conditione expressa. Min. ponitur in casu. Mai. est ex *L. Continuus. 137. §. cum quis. ff. de verb. obligat.* ibi: *non enim*

enim secundum futuri temporis jus, sed secundum presentis, estimari debet stipulatio. & L. si stipuler 35. ff. de verborum obligat. ibi: si stipuler sororem adoptivam me ducturum, non valet, quia statim contra bonos mores fit; ergo conditio (si fuerit dispensatum) quæ ponitur subintellecta, non attenditur. Quibus positis

Resp. si fidelis contrahens cum infideli non exprimat conditionem conversionis, seu de defectu disparis religionis, promissionem æq; invalidam esse, ac invalida sit promissio matrimonii inter impeditos v. g. consanguineos, non expressâ conditione, si non es consanguinea, vel futuræ dispensationis; quia tunc conditio inspicitur secundum tempus præsens; secus expressâ. Nam sic consideratur juxta intentionem apponentis, aut in dubio, juxta dispositionem juris; ex quo patet ad rationem in n. 860.

§. 12.

Quid in desponsationibus operetur conditio possibilis, honesta, & contingens?

861. Supponendum, in promissione sub conditione possibili, honesta (saltem negativè) ac contingente, duplicem obligationem considerari posse. 1. obligationem præstandi promissum sub tali conditione. 2. obligationem expectandi conditionis eventum. Suppon. 2. nos loqui de casu, quo conditio est de futuro; nam ex superioribus dictis jam constat, quid dicendum sit, quando est de præsentis, vel præterito. 3. de casu, quo conditio illa adjicitur in ipso actu contrahendi; non autem ex intervallo post contractum purè celebratum; tunc enim effectum suum jam habet, nec ex conditione subsequenti suspendi potest; hinc perfecta donatio conditiones postea non capit: ut dicitur L. Perfecta. C. de donat. quæ sub modo; his præmissis

Resp. 1. quod conditio possibilis, honesta, & contingens, si non sit contraria substantiæ contractus, suspendat obligationem præstandi promissum, usque ad conditionis eventum; & ideo pendente conditione in tali contractu dies non

cessit, nec venit, ut diximus supra: habetur expressè in c. de illis b. t. ubi dicitur: quod, qui juravit aliquam in uxorem accipere, si centum sibi donaverit, centum non datis, recipere non teneatur; & c. super eo. 5. b. t. ubi habetur, nequaquam esse ad matrimonium cogendum, si voluntas Patris non intercedat, quando contraxit sub hac conditione: si Pater ejus suum præstaret assensum.

Resp. 2. ex conditione possibili, honesta, & contingente de futuro, non suspendi obligationem expectandi eventum conditionis, sed statim nasci, ac incipere, nisi aliud exprimat. Colligitur argum. §. 4. Instit. de Verb. obl. ibi: Ex conditionali stipulatione tantum spes est, debitum iri; eamque ipsam spem (quæ est aliquod jus) in heredem transmittimus, si priusquam conditio extet, mors nobis contigerit. Ratio etiam est, quia ex contractu conditionali non minus oritur obligatio in spe, seu in conditionis eventum, quam ex contractu puro obligatio in re. Nam uterque est contractus, & in suo ordine perfectus; sic Gloss. in cit. c. super eo. V. alieno. Hostiensis ibidem. V. qui in alieno, & alii. Not. autem, cum diximus (spem conditionis transmitti ad heredes, si prius, quam conditio existat, nobis mors obtigerit) limitandum esse, ut non procedat in jure quæsito per ultimam voluntatem. Nam hæres conditionalis (idem est de legatario, fidei commissario) præmortuus conditionis eventui, nihil ad heredes transmittit, propter claram L. 4. ff. quando dies legati cedit, de qua dicemus infra.

Idem dicendum est de conditione 862. potestativa, quæ scilicet unice pendet à voluntate illius, cui imponitur v. g. auctam te, si fidem Catholicam amplexa fueris; vel casuali, quæ ab eventu respectu nostri fortuito pendet, v. g. si annus fuerit sterilis: aut mixtâ, quæ participat de utroq; v. g. si ex agro tuo tot modios retruleris in horreum tuum. Ratio est eadem, ex c. super eo in num. 861. & hoc procedit, licet conditio conferatur in arbitrium non tantum eorum, in quorum potestate sunt Sponsi, sed etiam si in arbitrium extranei; quia adhuc manet conditio possibilis, honesta, contingens de futuro, modo non sit

fit contraria substantia matrimonii, propter dicta supr. Hinc fit, conditione, de qua in praesens, impletâ, valere statim Sponsalia, vel matrimonium, licet contrahentes ignorent, eam jam evenisse. Sic enim conditio jam verificata est, consequenter consensus evasit purus. Unde tandem deducitur, contrahentibus Sponsalia sub conditione licita, & suspensiva, non licere resiliere altero invito ante conditionis eventum. Ratio est ex num. 862. aliâs enim resiliens invito altero violaret obligationem expectandi conditionis eventum, his positis:

864. Quæstio adhuc est. 1. an, si sequatur copula post Sponsalia de futuro, celebrata sub conditione suspensiva, Sponsi censentur sibi conditionem remississe, & consensus evasisse purum? affirmativa colligitur ex cit. c. de illis. 3. ubi dicitur, quod si aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstitit: *ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris: Reus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiit, non acceperit in uxorem, nisi consensus de presenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsequuta.* Ex quo textu deducitur in simili casu omninò præsumi, conditionem esse remissam, & Sponsalia transire in matrimonium præsumptum, ut diximus alibi; quod apertè etiam habetur in c. Per tuas. 6. h. t. an autem, & qualiter post Tridentinum, valeant matrimonia præsumpta? dictum est à n. 473.

865. Quæstio est. 2. ex quo tempore dies cedat, seu obligatio præstandi promissum incipiat in conventionem, vel dispositione conditionali? Resp. ex eo, quo conditio est impleta. *Cum enim semel conditio extitit, periurde habetur, ac si eo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* L. Potior 11. §. 1. ff. qui potiores in pign. hab. & conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. L. 7. ff. de contrab. empt. in quæstione autem; an conditio de futuro licita suspendat, etiam si consensus contrahentium exprimat per verba de presenti? Resp. affirmativè, prout decisum est in cit. c. super eo, ibi: *cum hujusmodi consensus non sit de presenti habendus, quamvis per verba de presenti exprimat; intellige quoad effectum faciendi consensum pu-*

Tom. IV.

rum. In dubitatione autem, quomodo intelligendus sit textus c. 1. h. t. ubi dicitur: *quicumq; conditionis nomine aliquem desponsaverit* (intellige, per verba de præfenti) *frangatur conditio, & desponsatio irrefragabiliter teneatur, seu firmiter servetur matrimonium?* Resp. sermone esse de conditione turpi, ut exponit Gloss. *ibid. V. Frangatur*, & per hoc indicari, habendam pronon adjecta.

866. Quæstio est. 3. an contractus matrimonii sub licita conditione celebrati inter habiles statim sit perfectus impletâ conditione priori consensu non revocato, nec novo præfinito? S. Thom. in 4. dist. 26. q. unica à n. 3. quæstiunc. 3. S. Bonaventura, Durandus, Maior, & alii apud Sanchez. lib. 5. bic. D. 8. num. 3. sequuntur negativam: dicendum tamen affirmativè, si consensus datus sit in facie Ecclesiæ; imò etiam sine hoc, ubi adhuc valent matrimonia simpliciter clandestina. Sic Innoc. in c. super eo. Hostiens. in c. 1. b. 1. Joan. Andreas *ibidem* num. 1. Sanchez. cit. n. 5. & alii. Ratio est. 1. quia Pontifex in c. super eo h. t. rogatus, an impletâ conditione cogi debeat ad matrimonium consummandum, qui per verba de præfenti consensit in mulierem sub conditione, *se Pater voluerit?* Respondit, non esse cogendum ad contrahendum, nisi voluntas Patris in tercedat; ergo ex mente Pontificis, adveniente conditione contractus sub ea conditione de futuro jam est perfectus; aliâs enim responso ad quæsitum, non esset perfecta. Secundò: quia contractus perfectus est, quando consensus mutus est purus, & absolutus; sed contractus conditionatus adveniente conditione est purus & absolutus; si interim non sit revocatus; ergo contractus conditionatus adveniente conditione, si interim non sit revocatus; est perfectus. Maj. est ex se clara; Min. constat inductione.

867. Nec in hoc est discrimen inter matrimonium, & alios contractus, quod illud sit Sacramentum, non isti: quia Christus contractum matrimonialem assumendo in Sacramentum, in eo circa naturam contractus civilis nihil mutavit; ergo æquè post assumptionem, ac antè, retinet naturam contractus civilis; ergo sicut antè contractus conditionatus, adveniente conditione, fit purus, si inte-

Ff

rim

rim non sit revocatus; sic postea. Nec obstat, quòd, quà Sacramentum, non possit pendere à conditione; sufficit enim, quòd possit, quà contractus, cui adveniente conditione accedat ratio Sacramenti, cum hæc supponat contractum perfectum in ratione contractus. Nec etiam ex eo utilis differentia constituitur, quòd leges in aliis contractibus, non autem in matrimonio, possint supplere consensum. Nam esto id verum sit, est tamen impertinens ad præsentem quæstionem; quia nequè hic, imò nec in aliis contractibus conditionatis adveniente conditione opus est consensum suppleri à lege, ut constat ex dictis. Denique nec in eo ponitur iustum discrimen, quòd in aliis contractibus, non autem in matrimonio, præsumatur virtualiter prior consensus perseverare. Nam hoc fallit apertè in casu, quo matrimonium contrahitur inter absentes per Procuratorem, per epistolas.

868. Licet autem matrimonium habeat esse perpetuum, id sufficienter obtinetur, quando advenit conditio; præsertim, cum solvi possit ingressu Religionis antè consummationem; aut ratum tantum, dispensatione summi Pontificis, ut multi volunt, juxta dicenda infra, quin hoc obstat ejus perpetuitati; similiter, licet consensus mutuus à principio sub conditione præstitus non sit sufficiens ad matrimonium; ex solo hinc defectu conditionis necdum impletæ; reddi tamen potest sufficiens ablato eo defectu, quod fit adveniente conditione, ut in simili diximus supra. Et ideo etiam distingui potest: à principio non est sufficiens, ut *se solo* faciat matrimonium. C. *cum conditione impleta*. N. sic autem manifestum est, non rectè inferri: *ergò etiam impletà conditione est insufficientis*, nisi velis, *se solo*; sed jam non ponitur consensus mutuus *solutus*. Rectè tamen conceditur, consensum, pendente conditione revocatum, non esse sufficientem ad matrimonium; cum illum non dicamus sufficientem ut cunquè, & *se solo*; sed cum habituali permanentia utriusque consensûs antè dati, & conditionis eventû.

Ex hoc autem, quòd hic contractus (*accipio te in uxorem*, & *contra*, *si Pater*

consenserit) pendente conditione nec obliget *in vi puri matrimonii*; nec *in vi Sponsalium*; obligat tamen in vi contractûs mediè inter utrumque, & r. quidem ad expectandum conditionis eventum ex num. 862. deinde *post conditionis eventum* ad præstandum omnia, quæ sunt de jure conjugum. Unde quando in c. *super eo*; dicitur: consensum per verba de præsentem, non esse habendum pro consensu de præsentem, quando pendet ab eventu futuro, intelligi de consensu *perfecto*, quàm diu pendet conditio; nam hæc pendente est quidem de præsentem, sed adhuc imperfectus, conditionis defectu, qui tollitur conditione positâ.

Dixi num. 866. contractum matrimonii conditionatum expressum per verba de præsentem, impletâ conditione purum evadere *inter non impeditos*; quæstio nunc est, an idem dicendum in casu, quo *impediti* contraxerunt per verba de præsentem, apposita tamen conditione, *si impedimentum cesserit*? Victoria in *summa de Matrim. num. 258.* tenet negativam & oppositum vocat errorem intolerabilem; Sotus in 4. *dist. 29. q. 2. a. 1.* post tertiam conclusionem, negantium opinionem ais esse omninò certam; adeoque secundum hos auctores opinio affirmans est improbabilis. Verum, his non obstantibus; opinio idem in hoc casu affirmans, negativâ probabilior est, & multò communior; eamque tenet Sanchez *cit. D. 3. n. 10.* & apud eum Calderinus, Angelus, Lopez, Covar. & alii. Nam Sponsalia inter inhabiles, impletâ conditione, manent firma sine novo consensu; ut prob. num. 866. ergo etiam matrimonium. Nam sicut matrimonium requirit consensum in matrimonium de præsentem *inter personas habiles*; sic Sponsalia requirunt consensum de futuro, *inter personas habiles*; sed ad hoc sufficit, quòd sint habiles sub conditione habilitante, ut ibidem probatum est: ergo etiam ad illud.

Nec urgent ea, quæ afferuntur in contrarium. Nam licet, dum per verba de præsentem contraxerunt sub conditione habilitatis futuræ, nondum fuerint habiles *absolute*, erant tamen habiles *conditionate*; nimirum, si cesserit impedimentum; ergo consensus tunc præstitus non erat omnino in-

no inhabilis, sed tantum ex suppositione, quod non cesset impedimentum; ergo ubi cessat, non est inhabilis, & consequenter valet. Quare licet verum sit, quod Pontifex, dum dispensat, non efficit, ut præteritum matrimonium, quod invalidum erat, efficiatur validum *pro tunc*, quo nondum erat dispensatio: efficit tamen removendo impedimentum prohibens, ut validum sit *nunc*, dum dispensatio est; quia facit, ut nunc sit constitutum matrimonii *validi*, cujus defectu tunc valore carebat. Deinde, licet deur, quod consensus non possit retrotrahi, quando ab initio non potuit legitime præstari: *L. si is, qui pro Emptore ff. de Usucap.* negatur tamen, quod inter impeditos (consanguinitate, vel dispari cultu v. g.) ab initio non potuerit legitime præstari consensus sub conditione, futuræ habilitatis; quia statim ab initio, virtute conditionis appositæ, consensus ferebatur in personam habilem; natura enim ejus conditionis est, consensus conferre in tempus conditionis existentis; tunc autem est habilitas personæ; ergo. Et ideo in principio erant habiles ad contrahendum sub ea conditione.

869 §71. Quæripotest, an, ut matrimonium conditionatum in facie Ecclesiæ celebratum juxta decretum Concilii Tridentini conditione impletâ evadat validum, conditionis eventui debeat interesse Parochus & Testes? quæstio procedit de valore matrimonii in loco, ubi viget Tridentinum irritans matrimonia simpliciter clandestina: affirmativam probabiliter sequitur Castropalaus *D. 2. p. 11. §. 2. num. 11.* quia in tali loco non valet matrimonium, nisi ei assistat Parochus & Testes; sed nisi Parochus & Testes assistant executioni conditionis, illi non assistunt tali matrimonio, sed tantum contractui conditionato, qui non est matrimonium, in quantum est contractus præcisè conditionatus.

870 §72. Dicendum tamen, omnino probabile, hoc non requiri. Nec enim Tridentinum aliud requirit, dum exigit Parochum & testes matrimonio assistere, quam ut assistant contractui *per verba de presenti* expressio; at hoc factum ponitur in dato casu, licet non assistant conditio-

nis executioni. Maj. probi, quia non requiritur, ut assistant assistentiâ tali, quâ possint testari de *singulis*, quorum defectu matrimonium est nullum. Nam sine consensu interno reverâ præstito matrimonium est nullum; idem dic de carentia impedimenti omnino occulti; & tamen de hoc testari non valent. Deinde ipse Castropalaus *D. 3. p. 7. §. 3. num. 2.* docet, non requiri, quod, quando matrimonium coram Parocho & testibus celebratum est, sed nulliter propter impedimentum omnino occultum, revalidatio consensus rursus fiat coram Parocho, & testibus, ut etiam diximus supra. Nam ex hoc clarè instatur argumentum contra ipsum, quo utitur contra hanc nostram sententiam in *num. 871.* ut patet consideranti: contractus enim nullus non est matrimonium.

Dices, requiri talem assistentiam, §73. vi cujus testari possint de matrimonio validè contracto publicè; at matrimonium illud ex planè occulto impedimento nullum, est validè contractum validitate publicâ. Resp. si Parochus & testes sciant, & matrimonium coram se contractum sub conditione, & contrahentes habere conditionem jam impletam, etiam testari possunt de matrimonio publicè validè, licet ipsi non intersint executioni conditionis, sed vel intelligant eam per alios fide dignos, vel colligant ex spontanea cohabitatione publicâ. Caterùm matrimonia celebrari sub conditione non debet admittere Parochus, nisi gravis causa urgeat, & Sponsi caveant, non prius, quam conditio purificetur, cohabitaturus.

§. 13.

Quid in desponsationibus operetur Modus?

Modus hic nihil aliud est, quam quædam moderatio dispositionis, vel contractus, per quam alter gravetur v. g. *vendo tibi hunc fundum cum obligatione, ut Titio dones tuam domum*, vel, ut loquitur Sicardus in *Cod. tit. 35. de Institut. num. 13.* Modus, est quædam dispositionis moderatio, quâ gravamen imponitur propter commodum, quod aliquis capit v. g. *lego tibi centum*

centum, ut mihi monumentum extruas. Communiter apponitur per dictionem, ut, vel, ita, ut, v. g. lego tibi centum, ita, ut, vel ita tamen, vel eâ conditione, eâ lege, ut hoc facias; sic Bartolus, quem citat, & sequitur Sichardus loco cit. Eius natura est, quod contractui, vel dispositioni re ipsâ nihil superaddat, nisi reciprocam obligationem ad aliquid faciendum, vel omitrendum, ut ait Haunoldus de Jure & Just. tom. 3. tract. 8. num. 307. Inter modum, & conditionem propriè dictam illud discrimen est, quod conditio suspendat consensum, quousque adveniat; modus autem consensum non suspendat, sed potius perfectum supponat. Hinc, qui rem aliquam emit, potest statim rem petere, etiam antequam modum implevit, modò caverit de illo implendo, ut dicitur L. 19. ff. de Legat. 3. qui verò sub conditione emit, vel instituitur, nihil consequitur, antequam conditio existat, adeoque ante eventum conditionis dies non dicitur cessasse; secùs, qui sub modo. Nam illa adjectio modi non impedit diem cedere, & venire, ut habetur L. qui heredi. ff. de condit. & demonstrat. L. si purè. ff. de Legat. 3. ita Sichardus in Cod. tit. 2. de Institut. num. 13. his præmissis:

875. Quæstio est. 1. an, si Sponsalibus, vel matrimonio adjiciatur *modus* eorum *substantiæ contrariis*, vitentur? 2. an si modus sit turpis, vel impossibilis, habeatur pro non adjecto? ante resolutionem supponendum, dupliciter intelligi posse, quòd alicui dispositioni, vel contractui adjiciatur *modus*. 1. ipsum modum, seu obligationem ad præstandum, quod petitur, apponendo tanquam conditionem, sub qua datur consensus indivisibiliter in rem & modum, v. g. accipite, si te obliges ad dandam dotem, quam potes. 2. non assumendo illum in conditionem, à qua etiam de præsentì subsistente pendeat consensus, qualiter fieret, si non in ipso actu disponendi, vel contrahendi, sed ex intervallo adjiceretur; adeoque ubi sunt distincti contractus; non unus indivisibilis.

Supponendum. 2. si modus primo modo adjicitur in contractu v. g. venditio-

nis, sub obligatione v. g. reciproce locandi domum, non valiturum contractum venditionis, esto emptor consentiret in emptionem, sed non in modum, quia tunc deficeret consensus venditoris indivisim etiam pendens à consensu emptoris in modum, tanquam à conditione sine qua non; sic sentire videtur Haunold. tom. 3. de Just. tr. 8. num. 308. Supp. 3. matrimonium, semel purè contractum, non vitari per obligationes, & pacta, ex intervallo primùm adjecta, quantumcunque contrarientur ejus substantiæ; quia non amplius possunt facere, ut non fuerit legitimus consensus mutuus, ad inducendum matrimonium necessarius; quo semel posito evadit insolubile extra casus, DEL voluntate permittos; his positis:

Ad 1. duplex est sententia 1. affirm. 876. mat per *modum*, substantiæ contractus contrarium, non vitari contractum; quia modus contractum, cui apponitur, supponit perfectum; ergo vitare non potest; ita Castropal. D. 2. de sponsal. p. 11. §. 5. num. 3. Contrarium tenet Sanchez lib. 5. hic d. 19. Layman. lib. 5. tr. 10. c. 7. Verum si consideretur modus secundum rationem, quâ dispositioni, vel contractui adjicitur, cum distinctione respondendum videtur. Igitur si modus, vel gravamen illud, substantiæ actus contrarium, quod adjicitur, apponatur primo modo, nimirum eodem actu indivisibili, vitatur contractum; secùs, si secundo modo; seu, si per actum distinctum, & ex intervallo. Ratio postremi est ex num. 875. quia matrimonium, semel ritè contractum, ut pote jure Divino insolubile ex institutione sua, adjectis ex intervallo pactis solvi, seu irritum reddi non potest. Et in hoc obtinet ratio primæ sententiæ: ratio verò primæ partis est; quia, cum consensus absolutus sit de substantia matrimonii; & hic talis non sit, nisi per modum existentem, & contrarium substantiæ matrimonii, seu objecto, in quod consensus substantialis debet ferri, impossibile erit, ut stet simul consensus substantialis in matrimonium & modum ejus substantiæ contrarium; nisi simul sint duo consensus contrarii; quod implicat; ergo in tali casu necessariò vitatur contractus.

877. Ad 2. Resp. si modus turpis, vel impossibilis adiciatur primo modo, illum in matrimonio, Sponsalibus, & ultimis voluntatibus vitari, ac haberi pro non adjecto. Sic enim obligatio ad turpe, vel impossibile subiret rationem conditionis, à qua penderet consensus in contractum Sponsaliū, vel matrimonialem; sed conditio turpis, aut impossibilis à his rejicitur ex dictis, ergo: si autem apponatur secundo modo, habet rationem novi, & distincti pacti, consequenter de hoc casu dicendum erit, quod dicemus infra de contractibus distinctis à matrimonio, & ultimis voluntatibus, quando sub tali conditione celebrantur. Hinc habetur. 1. desponsationes vitari non tantum in casu, quo modus substantiæ earum contrarius, tanquam conditio ab utroque contrahentium apponitur, & acceptatur, sed etiam, quando unus eorum in modum non consentit. Ratio primi est ex num. 876. secundi ex eo, quia tunc abest consensus mutuus.

878. In casu autem quo contractus modalis validè celebratus est, dies statim cedit, seu obligatio statim incipit, etiam ante modum impletum; ratio est ex n. 874. nec ideo contractus principalis irritus redditur, quò deinde modus, seu debitum ex eo, non impleatur, nisi aliter conventum sit; (arg. c. 4. b. t.) quia, per non impletionem appositæ gravaminis, non fit, quòd contractus non habeat omnia substantialia. Et ideo donatum Ecclesiæ interposità conditione revocari non potest, nisi conventum sit, quòd ea conditione cessante, debeat revocari. Sic cit. c. 4. ex quo colligitur, ab ipso textu distingui id, quod adicitur modaliter, & quod suspensivè; & in primo casu concedere, valere dispositionem donationis, quando conditio habet rationem modi; secus, quando rationem vere conditionis.

Quæres, an in casu contractus modalis validè celebrati, dies etiam statim veniat, hoc est, res debita statim peti possit; etiam ante gravaminis impletionem; Resp. quòd sic, modò præstetur cautio de illo, prout oportet præstando. Nam, si tibi legatum est, vel fidei commissum relictum, ut quid facias, etiam si non interest

heredis id fieri, negandam tibi actionem, si non caveas heredi, futurum, quod defunctus voluit, habetur ex L. 19. ff. de Legat. 3. ergo petenti, cautione præstità, neganda non est actio. In casu autem, quo modus dispositioni ultimæ voluntatis, adjectus est turpis, valet dispositio non modò, esto gravatus eum non impleat (quod intellige juxta dicenda) sed etiam, esto in eum non consentiat; ratio est, quia, ut dictum est, habetur pro non adjecto, & voluntas eum apponentis animo alterum ad ejus impletionem obligandi est inefficax, ut patet ex casu L. 27. ff. de Condit. instit. Nam cum quidam in testamento alterum heredem scripsisset sub hac lege: si reliquias ejus in mare projecisset, quæsitum fuit, an institutus expellendus esset ab hereditate, si conditioni non paruisset? Modestinus respondit: laudandum esse magis, quàm accusandum heredem.

Deniq; si post contractum initum, sub modo illud, quod gravatus ex obligatione implere tenetur, sine ipsius culpa impossibile fiat, contractus (licet ex se revocabilis) non propterea evadit revocabilis; quia præsumitur, quod intentio gravantis non voluerit alterum obligare ultra id, quod esse possit, aut liceat. Et ideo etiam in legatis, ac fideicommissis, modus adscriptus pro conditione observatur, ut constat ex L. 1. C. de his que sub modo, ubi dicitur: si per te non fiat, quò minus voluntati testatoris pareas, sed per eum, cui nubere iussa es, quò minus id, quod relictum est, obi incas, non oberit.

§. 14.

Quid in desponsationibus operetur demonstratio, causa, vel dies adjectus?

Per causam hic intelligitur ratio, propter quam contrahitur, vel dispositio fit. v. g. duco te, quia dives es; dono, quia mihi tale obsequium præstitisti; per demonstrationem autem qualitas, quæ rem, vel personam determinat, v. g. duco primogenitam; Lego pecuniam in cistula argentea; his præmissis, in sequentibus explicandum est, quid in Sponsalibus, tam de futuro, quàm præsentibus, operetur qualitas

litas contractui adjecta per modum causæ, vel demonstrationis? Porro in hac quæstione regula, quam tradit Sanchez *lib. 5. D. 19. num. 2.* cum aliis communiter dicens, est, per causam vel demonstrationem desponsationibus adjectam, sive turpis sit, sive honesta, vera vel falsa, vel etiam contraria substantiæ contractus, *per se* nunquam vitiari contractum, esto, si contrahentes scivissent ejus defectum, non contraxissent; quia per hoc non deficit consensus; cum ejusmodi causa, vel demonstratio nec sit finis, nec objectum consensus. Sed hoc meritò limitat Castropalaus *D. 2. de sponsal. p. 11. §. 5. n. 2.* nisi error in causa, vel demonstratione inducat errorem in persona, vel qualitate consensus; de quo dicemus infra.

880. Quoad alterum, cum dies adjicitur præmittendum contractum purum (nempe celebratum, non adjecta conditione, vel modo, aut in diem dilata solutione) *per se loquendo* statim obligare, ut possit debitum exigì; nam in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, presenti die debetur, ut constat ex *L. 41. ff. de V. O.* ibi: *quoties in obligationibus dies non ponitur, presenti die pecunia debetur, nisi locus adjectus spatium temporis inducat, quo illò possit perveniri;* ergo à fortiori debetur statim ex die, qui apponitur. Et ideo in contractu puro dies statim cedit, & venit; in contractu autem in diem celebrato, dies statim cessit, sed non venit: in celebrato sub conditione, dies neque cessit, neque venit, pendente adhuc conditione *L. 213. ff. de verborum signif. Cedere diem*, idem est, ac incipere debitum; *venire diem*, est adesse diem, quo debitum exigì possit. Hinc quando quis contractum celebrat in diem v. g. *solvam centum Calendis Augusti*, dies quidem statim cedit, hoc est, obligatio statim confurgit; sed dies nondum venit, hoc est, solutio ante eas Calendas exigì non potest, prout etiam habetur *§. 2. Instit. de V. O.*

881. Not. autem 1. non tantum in casu, quo dies expressè adjicitur, sed etiam in casu, quo ex usu, & consuetudine subintelligitur, licet non exprimat, contractum evadere non purum, ut patet in con-

tractu Sponsalium non expresso die, quo promissa nuptiæ celebrandæ sunt. Intellegitur enim *tempore proximo*, quo id commodè fieri potest. Hinc colliges ex circumstantiis in tali casu mentem contrahentium colligi debere. Secundò, licet statim peti possit debitum ex contractu puro, aut etiam celebrato in diem, ut primum dies venit, ut dictum est; hoc tamen intelligendum est, tempore opportuno, seu ut dicitur *L. 105. ff. de solutionibus, cum aliquo temperamento temporis; nec enim statim*, ut primum dies venit, *cum sacco adire debet debitorem creditor; maxime illo ipso die, in quem stipulatio collata est; quia totus dies arbitrio solventis tribui debet, ut dicitur cit. §. 2. Instit. de V. O.* his præmissis:

Quæstio est 1. quando contractus celebrari dicatur *in diem*? Resp. cum contrahitur, executioni contractus designato die, vel certo, ut, *Calendis Maji*; vel incerto, ut, *quo Titius ex Italia venerit*; quod tamen de hoc accipit, ut procedat *de die incerto*, qui certò veniet, sed quando? nobis incertum. Nam si incertum sit, an aliquando venturus sit? non tamen *in diem* est, quam sub conditione: *si venerit ex Italia*.

Quæstio est. 2. an Sponsalia de futuro celebrari possint *in diem* v. g. *promitto tibi matrimonium ad Calendas Maji*. Resp. affirmative; cum collatio executionis in illud tempus nihil afferat, quo substantia Sponsalium excluderetur. Hinc ex die contractus celebrati in ejusmodi contractu jam coepit obligatio promissum exequendi, ubi dies venerit; non autem antè, ut dictum est.

Quæstio est. 3. an matrimonium conferri, seu contrahi possit *in diem*? Resp. negativè; quia matrimonium est ex actibus illis legitimis, qui nec conditionem recipiunt neque diem, ut dictum est *n. 771.* consensus tamen expressus per verba de presenti conferri potest in diem v. g. *accipio te in uxorem (& vicissim) proximis Calendis Maji*; huic enim dies tam parum obstat, quam si conferatur in eventum futurum, quod rectè fieri posse constat ex n. jam citato.

ARTICULUS I.

De conditione adjecta in aliis contractibus.

Quæstio 1. est, quid in aliis contractibus operentur condiciones improprie? Sermo est de his, quæ sunt de presenti, præterito, vel futuro necessario; Resp. in contractu, vel dispositione sub conditione de presenti, vel præterito, diem statim cedere, consequenter obligationem non suspendi; à num. 764. quod etiam dicendum de contractu sub conditione necessario futura, juxta doctrinam traditam à num. 765. Condiciones autem quæ tacite generaliter insunt, non esse suspensivas, nisi exprimantur aliter, ac insunt, prout fusè dictum est à num. 772. Idem dicendum venit de his, quæ tacite insunt specialiter, nimirum naturâ, vel lege, prout expositum est à num. 775. cum suis limitationibus.

Quæstio est 2. quid operentur condiciones substantiæ actûs contrariæ? loquimur de actu, cui adjiciuntur. Resp. per condiciones substantiæ actûs, cui apponuntur, contrarias, omnem contractum, vel dispositionem vitari à num. 777. qualiscunque sit, ut dictum est, licet de se sit honesta. Et hujus ulterior ratio est ex Zoëtio in Tit. 20. de inutil. stipulat. lib. 3. Insit. num. 19. quia conditio adjecta, velut pars obligationis est; igitur, si pars parti substantialiter contrarietur, impossibile est, quodd obligatio confurgat; & ideo si talis conditio apponatur indivisibili actu cum modo, locum non habet regula, quæ dicit, utile non debet per inutile vitari. c. utile, de Reg. jur. in 6. licet obtineat in disjunctis; L. Cum donationis; 34. de transact. L. Eos 26. C. de Usuris. consequenter benè assumitur contradictorium dictæ regulæ, nimirum, quodd in indivuis, ac inseparabilibus debeat vitari utile per inutile.

Quæstio est 3. quid operentur condiciones impossibiles naturâ? Not. ex Gloffa. in c. Nemo. 6. de Reg. jur. in 6. V. Nemo. Impossibilitatem propriè triplicem esse, nimirum juris, facti, & naturæ. Impossibilitatem juris exemplificat in stipulatione rei sacræ; facti, in stipulatione, montes Alpium ultra mare transferendi; naturæ, in

Quæstio tamen est 4. an, si contractus matrimonii per verba de presenti nunc expressus, conferatur in certum diem, ut propositum est in prioribus; antequam dies veniat, sit matrimonium; vel primò tunc, quando dies venit? Castropal. D. 2. de sponsal. pag. 11. S. 5. num. 1. censet, suspendi hoc casu æquè matrimonium, quousque adveniat tempus, ac suspendat conditio futura; quia in utroque casu non est consensus perfectus ante temporis adventum; si autem ex temporis assignatione, hoc ipso bene colligitur, mentem taliter contrahentis esse, nolle alterum prius habere in conjugem, quàm dies adveniat, dubium non est, suspendi contractum; quia tunc tempus expressum, non tam habet rationem temporis modaliter, quàm conditionaliter præfixi; dies enim solam executionem, non consensum suspendit ex n. 880.


Verùm, hoc non obstante, dicendum, Titium & Cajam, qui taliter contraxerunt, non esse conjuges, nec contractum illum esse matrimonium; quia plius non est, quàm sit contractum; sed contractum, seu conventum est: quod eam velit habere in uxorem à Calendis Maji, non antè, quod sanè non finiscat matrimonium antè Calendas Maji; ergo. Unde licet supposito tali contractu dies statim cedat, hoc est, obligatio habendi eam in uxorem à Calendis Maji; executio tamen suspensa manet, dum adveniant Calendæ Maji.

PARS II.

Quid in aliis contractibus operentur condiciones appositæ?

Loquimur universaliter de quolibet contractu, seu dispositione distincta à Sponsalibus, matrimoniiis, & ultimis voluntatibus; de illis enim jam dictum est parte 1. De ultimis autem voluntatibus constabit à num. 902. Procedit autem, quæstio de contractibus legitimis, qui conditionem recipiunt, juxta doctrinam in num.

770.



in stipulatione faciendi solem, Lunam, stellas; quo posito:

Resp. contractus, vel dispositiones, de quibus hic agimus, sub conditione impossibili per naturam affirmativè (nimirum, si fiant) appositæ, vitiari, ac irritas reddi; & 1. spectatâ naturâ rerum, certum videtur; quia contractus non potest non vitiari ex naturâ rei, quando sic vitiatur consensus, sine quo non stat contractus; sed quoties consensus alligatur conditioni impossibili per naturam, si fiat, vitiatur consensus ex naturâ rei; quia cum consentiens nolit consentire, ni eveniat ea conditio, hæc autem per naturam rerum evenire non possit; ex natura rei fit, consensum talem necessariò deficere.

889. Secundò etiam jure positivo vitiari ralem contractum adjecta conditione impossibili per naturam, constat ex §. si impossibilis. 11. Instit. de inutil. stipul. ibi: si impossibilis conditio obligationibus adjectatur, nihil valet stipulatio. Impossibilis autem habetur, cui natura impedimento est, quò minus existat; ubi expressè notat gloss. litera y. sermonem esse, si talis conditio adjectatur affirmativè; nam negativè adjecta, necessaria est, & præsens, adeoque non vitiat, ut notavimus supr. idem habetur in L. Impossibilis. 7. ff. de V. O. ibi: impossibilis conditio, cum in faciendam concipitur, stipulationibus obstat.

Et ratio est, quia si stipulor, ut id fiat, quod natura fieri non permittit, non magis obligatio consistit, quam cum stipulor, ut detur, quod dari non potest, ut dicitur L. si stipulor. 35. ff. eodem; ergo etiam, si stipuler sub conditione, si fiat, quod natura non permittit fieri; sic enim promissio est rei impossibilis; res enim promittitur non utcunq; sed secundum, quod subest impossibili eventui; promissio autem rei impossibilis non tenet, nec obligat, ut dicitur c. Nemo. 6. de Regulis juris in 6. ibi: nemo potest ad impossibile obligari; ergo.

890. Not. autem, cum dicimus, dispositiones, & contractus distinctos à desponsationibus, & ultimis voluntatibus, vitiari adjectâ conditione impossibili per naturam, intelligi, si scientes impossibilitatem,

nihilominus apposuerunt, ut dicitur L. non solum. 31. ff. de obligat. & act. ibi: non solum stipulationes impossibilis conditione adjectæ, nullius momenti sunt, sed etiam cæteri quicunq; contractus; & statim subjungitur: quia in eâ re, quæ ex duorum, pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciunt esse impossibilem.

Not. 2. cum dicimus, hos contractus per appositam conditionem, naturâ impossibilem, vitiari, intelligendum esse in foro externo, secundum dicta à num. 761. discrimen autem, quod petitur, cur istos contractus viciat, in matrimonio autem, & ultimis voluntatibus viciatur, datum est aliàs: in illis enim apponuntur relicta naturæ suæ: in his autem, juxta intentionem Ecclesiæ, ac Legum.

Quæstio est 4. quid operentur conditiones impossibiles factò? Resp. probabilius esse etiam per conditiones impossibiles factò, adjectas affirmativè, vitiari dispositiones, & contractus distinctos à desponsationibus, & ultimis voluntatibus. Nam quæ non habentur in his pro non adjectis, in aliis habentur pro vitiatis, ut constat de conditionibus impossibilibus tam naturâ quam jure; sed impossibiles de facto in desponsationibus habentur pro non adjectis, ut dictum est num. 849. ergo. Accedit, quòd promissio rei impossibilis, nulla sit, ut constat ex cit. c. Nemo, sed promissio rei sub conditione impossibili de facto, v. g. si montes alpium ultra mare transtuleris, est promissio rei impossibilis; non enim promittitur res, nisi positâ conditione facti, quod factò existere non potest; ergo. Et ita tenet Glossa in cit. c. Nemo. V. Nemo. quod confirmatur apertè c. fin. de pact. ibi: nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. Ex quo colliges, conditiones factò impossibiles, etiam Jure Canonico inter impossibiles numerari, consequenter in c. fin. h. t. inter impossibiles, quæ in desponsationibus rejicienda sunt, meritiò venire: idem dicendum est de impossibilibus ex accidenti, vel lapsu

lapsu temporis, ut & hæc vitient contractus à desponsationibus distinctos, si apponentes sciunt impossibiles esse. Nam etiam in hoc casu dubium esse non potest, (ut dicitur in *L. Non solum* cit. supr.) scientibus hanc impossibilitatem, talem cogitationem esse, ut nihil agi existiment; & sic revera dispositio, aut contractus esset de re impossibili, ut notatum est loc. cit.

892. Quæres 5. quid operentur conditiones impossibiles de jure? Resp. etiam per has vitiant omnem dispositionem, vel contractum à desponsationibus & ultimis voluntatibus distinctum. Ratio est eadem, quæ de aliis impossibilibus; & constat. *1. ex cit. c. fin. de pactis*, ibi: *pactum turpe, vel rei turpis nullam obligationem inducit. c. si ad peccatum. 22. q. 4. c. si res 14. q. 6. c. si aliquid. c. non est observandum 22. q. 4.* per pactum turpe non tantum intelligitur, quod sit de re turpi, v. g. patrandi homicidio, sacrilegio; sed etiam de re bona, & secundum se licita, puta sacrâ, spirituali, quando per pactum sit illicita; ut, cum sit pactum rei sacræ, vel liberi hominis, lege prohibitorum. Idem passim habetur in jure civili. *L. generaliter. 26. ff. de V. O. ibi: generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti. L. si stipulator 35. quod leges fieri prohibent, cessat obligatio*; & hoc non tantum, si semper turpe sit seu lege vetitum; sed etiam, si non habeat causam perpetuam, ut, *si duxeris sororem adoptivam*.

893. Quæres 6. quid in his contractibus operetur modus, causa, demonstratio? Resp. de his pleræque jam exposita esse à num. 874. dicendum igitur, etiam hos contractus vitari per modum substantiæ illorum contrarium, qui assumitur in conditionem consensus contractui, vel dispositioni substantialem; cujus ratio est à num. 876. non autem, si ex intervallo adiciatur ex n. cit. quia pacta (consequenter conditiones propriè tales) quæ in continentem non adiciuntur, non informant contractum, ut ait Zoësius in *lib. 39. ff. Tit. 5. num. 59.* Similiter, si modus à quo tanquam conditione pendet consensus substantialis, sit turpis, vel impossibilis, vitiat omnem dispositionem, vel contractum, à desponsationibus, & ultimis voluntatibus distinctum, secundum

Tom. IV.

dicta num. 888. & si autem adiciatur ex intervallo, seu dispositioni aut contractui jam perfecto, pactioem adjunctam irritam reddit; sic enim est pactum de re impossibili, vel turpi; non autem ipsa dispositio, vel contractum ex num. 877. nam in hoc casu supponitur, contractum, cui ex intervallo modus apponitur, & modalem pactioem, esse contractus distinctos; secus, ubi est unus, ac indivisibilis, includens reciprocam obligationem, tanquam conditionem.

Ex hoc patet ulterior ratio, cur à num. 19. dixerimus, promissionem futuri matrimonii, gratuita factam Bertæ, etiam suppositâ acceptatione promissionis, in quantum est Bertæ favorabile, promittentem habere obligatum ad præstandum promissum, ubi Bertæ libuerit, non sufficere ad vera Sponsalia, quod hæc dicant contractum indivisibilem, ac includentem reciprocam Bertæ obligationem, in quantum illa, promissionem taliter acceptando non consensit, ut fieri posse probatum est supra. Sine tali autem consensu non stare illum contractum, dictum est ibid.

Not. præterea in contractibus modalibus, ut primum perfecti sunt, diem statim cedere, ac venire, juxta dicta supra; nec omissione oneris præstandi, contractum esse revocabilem vindicatione; excipe donationem sub modo præstandorum alimentorum; *L. 1. C. de donationibus, quæ sub modo*; quæ dispositio est specialis in favorem alimentorum, consequenter non extendibilis ad alios casus; *Surdus de aliment. tit. 8. privileg. 61. n. 8.* Excipe 2. nisi aliter conventum sit, ut constat ex *c. donans. 4. b. t. ibi: nisi forte tali sit conditione collatum, quod eâ cessante debeat revocari.* Et quamvis in hoc c. sermo sit de donatione facta Ecclesiæ interpositâ conditione, ut quid faciat; conditio tamen hic latè sumitur, etiam pro modo, ut idem sit, ac, *si quis donet Ecclesiæ interposito modo, ut quid faciat*, v. g. tot missas celebrari curet; quia onus præstandum explicatur ibi per particulam *ut*, quæ ordinariè modum denotat, non conditionem pendentem; quod verum est, etiam si ante dictionem *ut* adiciatur clausula, *eâ conditione*, ut probat Felinus in *c.*

Gg

Cum

Cum Joannes, de fide instrum. num. 1. Barbofa de dictionibus. *V. Ut. num. 3. qui num. 5. addit dispositionem censeri modalem, quando, quod adjectum est, impleri debet post emolumentum quaesitum; conditionalem, si ante; hic autem sermo est de donatione, qua rei donatae dominium transfert sub eo onere non prius praestando, id, quod non habet conditio proprie dicta; sic Barbofa. in cit. c. 4. num. 6. Textus enim supponit donatum Ecclesiae acquiri, & postea onus implendum esse.*

895.

Ex hoc colliges, etiam Ecclesiae (cujus nomine venit quilibet locus pius, ut hospitale, monasterium, &c.) fieri posse donationes conditionales, vel modales expressio onere, vel conditione, ut his non impletis, res redeat ad donantem, vel restituatur, ut notat Praepositus. in c. 4. b. t. num. 6. col. 4. & alii, & constat ex cit. c. 4. eo tamen discrimine, quod in donatione conditionali conditio prius impleri debeat, quam percipiatur emolumentum; non in modali, ex dictis priorum. Hoc tamen videtur limitandum, ut procedat de rei donatae restitutione, vel revocatione; non autem ad usus mundanos, sed ejus applicatione alteri loco pio, ubi onus appositum fideliter impleatur, si talis donatio, vel dispositio pia, auctoritate Ordinarii, ad piam causam facta est. c. ad hac. 4. de Relig. domib. ibi: respondemus, quod, si locus ad hospitale usum, & pauperum provisionem, auctoritate Pontificis (nam privatus non facit locum sacrum. L. in tantum. §. sacra ff. de rerum divis. l. 3. §. si quis in sepulchro; ff. de sepulchro violato) fuerit deputatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari, sicut de vestibus, & ligneis vasis, ac aliis utensilibus, ad cultum Religionis, per Pontificem deputatis, antiqua consuetudo indubitanter observat, & Venerabilium Patrum edocent sanctiones. Ratio est, quia quod semel DEO dedicatum est, ad humanos usus amplius redire non debet. c. Nulli liceat. 22. q. 2. c. Mancipia cum sequentibus, de rerum permut. item c. Ligna. c. Vestimenta, de Consecr. dist. 1. c. quae semel. 19. q. 3. quod tamen limita in Ecclesiasticis possessionibus, quae spirituales non sunt; quia illae possunt alienari, si

expedit. c. sine exceptione. 12. q. 2. c. Hoc jus. 10. q. 2. Et ideo fundatores loci pii, cum apponunt clausulam; ut modo non servato res donatae ad ipsorum usum redeant, ab Ordinariis merito non recipiuntur.

Not. 2. modum, qui resolvit contractum, vel donationem (ut scilicet modo non observato donator rem recuperet) etiam ab Ecclesia observandum esse juxta num. praeced. arg. c. cum dilecti, de donat. Dixi modo non observato; ubi advertendum, ad hujus veritatem non sufficere, quod solus Praelatus, habens Collegium, vel Capitulum, modum non servaverit; sed, quod ipse cum Capitulo. Nam dilectum Praelati Ecclesiae nocere non debet (intellige, habentis Collegium) juxta c. dilectum, de Reg. juris in 6. quia per donationem modalem jus quaesitum ponitur non soli Praelato, sed huic cum toto Collegio; hinc solus ille non potest juri, toti communitati quaesito, praedecedere; sic Abb. in c. Brevi, de jure jurand. n. 7.

Not. 3. posse fieri donationem Ecclesiae sub modo, ne res donata alienetur, &c. si secus fiat, obnoxia sit restitutioni; sic Tiraquell. de retract. convent. ad fin. tit. num. 15. & colligitur ex cit. c. 4. b. t. probabilius tamen est, excipi casum, quo urget necessitas, ac evidens utilitas, ut fiat ejus rei alienatio, saltem, si aliter ei necessitati, ac utilitati non potest aequo occurrere; de quo videri potest Barbofa. in cit. c. 4. num. 13. quia pro tali etiam casu non praesumitur intentio donantis tam severe restricta, praesertim, si fiat alienatio cum solennitatibus jure requisitis; sic enim potius urgeret in Ecclesia detrimentum: sed de hoc V. tit. de rebus Ecclesiae non alienandis.

Not. 4. nos num. 894. dixisse, donationem, vel contractum modalem, etiam non impleto modo, extra casum specialem alimentorum, de quo ibi, non posse revocari, vindicatione. Caeterum, si donatarius, post rem sub modo, & onere acceptam, modum non impleat (v. g. si rem alienavit, uti potuit, cum sit ejus Dominus, L. si pecuniam §. ff. de Conat. & demonstrat.) locus erit conditioni ob causam, quae non est secuta, prout traditur in ff.

in ff. & C. de condi. ob causam, vel etiam actioni prescriptis verbis, de quibus Zoëlius in tit. 5. de donationibus. lib. 39. ff. num. 64.

Not. 5. duobus modis posse modum adijci in commodum solius gravati. 1. si disponens modum adiciens ex fine talis commodi, per modum procurandi, voluit inducere gravatum, ad ineundum contractum modalem; 2. si solum, ut eum de modo procurando instrueret, ac comoneret. In primo casu presumitur, gravatum obligare voluisse, ad implendum onus; hoc enim suadet ratio finis intenti; non autem in secundo; sic Haunold. tom. 3. tr. 8. num. 313. Ex quo colliges, quando in donationibus Ecclesiarum, in huius solius commodum non exprimitur, ut revocari possit modo non impleto, censi modum, aut conditionis præstationem, cum res in emolumentum perceptionem consignatur, non esse sub obligatione; quod maxime presumitur, si nullo modo donatoris interest impleri modum; & idem, si Titio centum legata sunt ita ut fundum emat, non esse cogendum Titium, cavere, Sextus Cæcilius existimat. L. 71. ff. de condit. & demonstrat.

Quæres 7. quid denotet in aliis contractibus dies in illis appositus? Quid sit contractus in diem celebratus? ex dictis constat à num. 880. ubi etiam exposuimus, quando in his dies cedat; quando veniat? Non omnes contractus, etiam legitimos, recipere diem; sed eos tantum, qui naturam suam, institutione, aut lege, non statim habent executionem, dictum est à num. 770. his præmissis: Quæstio est, an, quando contractus est conditionalis ob diem incertum, de quo non est certum, ipsum aliquando venturum (ut in casu posito supr.) creditor habeat actionem adversus debitorem, ante conditionis eventum? Resp. negativè; quia in tali casu dies nec cessit, nec venit; quando autem est in diem certum vel etiam incertum, sed certò venturum, secus est (quia tunc dies statim cedit ex num. 881.) si tamen debitori actionem intentet, antequam dies veniat, repelli posse exceptione, quod dies nondum venerit, extra certos tamen casus (ut si debitor res per-

fundaret, ut veniente die solvendo non esset) de quibus suo loco.

Quæres 8. an debitor dicatur esse in mora, si, postquam dies venit, in quem contractus celebratus est, non solvat? Resp. quòd sic; dies enim tunc interpellat pro Creditore; secus autem est, si contractus est conditionalis, vel in diem incertum incertitudine futuri aliquando eventus. Ratio est ex L. 12. C. de contrab. stipulat. ibi: sciat debitor, minime se posse ad penam evitandam adijcere, quòd nullus eum admonuit; rationem dat lex: cum ea, que promisit, ipse in memoria sua servare, non ab aliis sibi manifestari, debeat poscere.

Præter hæc, not. 1. diem quandoque apponi posse sub terminis æquivocis, v. g. Calendis Maji, vel in Paschate; ubi dubitatur, an proximis Calendis Maji, proximo paschate? quòd intelligi potest de toto triduo. Resp. ubi non apponitur, an proximis Calendis? debere intelligi de proximis, ut constat ex L. 41. ff. de V. O. ibi: si non addat, quibus Calendis Maji, Sabinus dixit, primas Calendis Maji spectandas esse. Not. 2. eum, qui sic promittit in diem: solvam tibi centum ante proximas Calendis Maji, satisfacere, solvendo ipsis Calendis Maji, quia ibi ante, juridicè idem est, ac, antequam elabantur Calendis Maji; constat ex L. 15. ff. eod. ibi: qui ante Calendis proximis stipulatur, similis est ei, qui Calendis stipulatur. Not. 3. promissiones, quæ sic fiunt: dabo aliquando, dubias esse, cujus sit diem determinare? aliqui volunt, determinari, cum promissarius petierit, ex L. 29. ff. quando dies legatorum cedat; ubi dici videtur, diem venire, cum alter petierit: Lex tamen dicit: diem cedere (hoc est, ut alii volunt) venire (nam interdum cedere, & venire diem pro eodem in jure sumuntur) cum promissor commodè poterit, & alter petierit.

ARTICULUS II.

Quid operentur conditiones in ultimis voluntatibus.

Resp. in hac quæstione de ultimis voluntatibus idem dicendum quod de de-

Gg 2 sponfa-

fationibus, & aliis contractibus. 1. si conditio appositæ sit de præsentî, præterito, vel futuro necessariò, ut dictum est à *num. 264.* 2. si conditio sit possibilis, honesta, & contingens de futuro, juxta *num. 861.* 3. si sit contraria substantiæ ultimæ voluntatis secundùm dicta à *n. 777.* hæc inquam intelligenda veniunt secundùm superius dicta, nisi limitentur in sequentibus, id, quod etiam in hac materia intelligendum est de conditionibus tacitis, quæ vel *generaliter*, vel *specialiter* insunt; quod de iisdem dictum est à *n. 764.*

903. Notan. præterea, contractus, qui solo consensu perficiuntur, nec ad sui essentiam traditionem requirunt; celebratos sub conditione de futuro, transire in absolutos, & perfici adimpletione conditionis; quia *conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. L. hæc venditio. ff. de contrab. empt.* Secundò, ad perfectionem contractuum, qui perficiuntur solo consensu, licet sub conditione de futuro celebrati sint, non requiri, quòd contrahentes *sciunt conditionem esse adimpletam*; quia, si conditio vera sit, stipulatio tenet, licet tenere contrahentes conditionem ignorent, ut dicitur *L. cum ad præsens. ff. de rebus creditis*; quia non contraxerunt, *si servero rem; sed, si erit*; scientia tamen requiritur ad contractus expeditionem, licet non ad ejus valorem. V. dicta in superioribus.

904. Ex hoc fit, hæredem suum posse institui sub conditione potestativa non turpi v. g. *si litteris operam dederit*; ut dicitur, *L. fin. ff. de hæred. instit.* ibi: *sed ita demum testamentum ratum erit, si conditio fuit in filii potestate*; quando autem dubitatur, an fuerit, vel non fuerit in potestate filii, conditionem implere, Judicis erit definire. *L. 4. §. 1. ff. eod.* Dixi 1. sub conditione potestativa. Nam sub alia non potest, salvo institutionis valore. *saltem jure antiquo*: cum enim sit hæres necessarius, si ex legitimo testamento succedit, inefficaciter institui non potest, nisi ipse repudiet institutionem legitime factam, vel nominatim exhæredetur; aliàs enim præteritus esset contra Novellam *115. c. 3.* sed si sub alia conditione (*casuali v. g.*) institueretur, extra illos casus, non necessariò

succederet, sine sua culpa, conditione (ut potest) non veniente; ergo; hoc intellige, si conditio casualis esset de futuro; si enim de præsentî, vel præterito, conditione subsistente, valeret institutio, *L. 10. §. 1. ff. eod.* Dixi. 2. *saltem jure antiquo.* Num aliqui censent jus antiquum correctum esse jure Codicis, præsertim *L. 36. §. 1. C. de inofficiis*: ubi valet testamentum, quo extraneus institutus gravatur à morte sua hereditatem restituere filio Testatoris. Dixi 3. sub conditione non turpi, propter *L. 15. ff. de hæred. instit.* ubi dicitur: quòd filius in potestate Patris constitutus, & hæres scriptus sub conditione, *quam senatus, aut princeps improbat, infirmit testamentum patris, ac si conditio non esset in ejus potestate*; nam, quæ facta hædunt pietatem, nec facere nos posse, credendum est; his præmissis:

Quæri adhuc potest. 1. an institutio sub conditione, *si hæres hoc fecerit, quòd licitè facere potest, & se facturum juraverit*, impleto opere, sed omisso juramento, valeat? Resp. affirmativè; quia conditio, quæ exigit juramentum, reprobat; & hæres ita capiet hereditatem, qualiter is, cui nulla jurisjurandi conditio inferitur, *L. 8. ff. de hæredum instit.* invalida autem foret, factò jurejurando; sed opere non impleto propter rationem contrariam.

Quæri potest. 2. an valeat institutio sub conditione *infra in testamento exprimenda*, si postea nulla expressa sit? Resp. affirmativè ex *L. 8. C. eod.* ubi dicitur, *testamentum puram habere institutionem*, & conditionum pollicitationem supervacaneam esse, siquidem nihil est adjectum, nequè aliqua conditio in testamento posita est; quòd autem dicitur *L. 9. §. 5. ff. de hæred. instit.* tunc pro non instituto putari, est de casu, quo testator præventus testamentum non absolvit.

Quæri potest. 3. qualiter ad excludendum substitutum requiratur, ut verificetur conditio, *si institutus sine liberis decesserit.* Resp. requiri. 1. quòd institutus decedat sine liberis legitimis, 2. sine liberis vivis, dum decederet institutus. Quare si institutus habuisset liberos, sed mortuos ante institutum, non excluderetur substitutus, ex *L. 6. C. de hæred. instit.* ibi. non

aliter substitutione locum accipiente, nisi ipsi liberi sine iusta sobole, decesserint, qua omnia & in legatis locum habere sancimus.

908. Not. præterea in Codicillis nec apponi, nec tolli posse conditionem prius adjectam institutioni in testamento. Codicillis enim nec dari, nec adimi potest hereditas. Nam cum quæreretur in L. 27. §. 1. ff. eodem, an parendum sit in casu, quo quis heredi, quem testamento purè instituit, codicillis scripsit conditionem? Modestinus respondit: hereditas Codicillis neg. adimi potest; quod tamen fieret, si purè instituto per Codicillum conditio scribi posset; his præmissis:

§. 1.

Quid in ultimis voluntatibus operentur conditiones impossibiles naturæ.

909. Conditio naturæ impossibilis est, cui natura impedimento est, quò minus existat, ut dictum est supra. Eiusmodi conditiones affirmativè adjectæ ultimis voluntatibus, non vitiant dispositionem, sed vitiantur, spectato iure positivo; ut dicitur in §. Impossibilis. Instit. de hered. instit. ibi: impossibilis conditio, in institutionibus, & legatis, nec non in fideicommissis, & libertatibus, pro non scripta habetur. Et hoc introductum est in favorem ultimarum voluntatum, quas homines malunt valere, quam non valere; unde in dubio (sicut diximus de desponsationibus) rejiciendæ sunt, & dispositio purè facta iudicanda; quòd merito præsumantur non apposuisse efficaciter, alligando simpliciter intentionem illius eventui, sed potiùs ineffaciter, nimirum sub conditione reflexa: si tamen possibile sit.

910. Dubitari tamen interdum solet, an hæc vel illa conditio habenda sit pro impossibili iuridicè, nimirum ad juris effectum, ut habeatur pro non adjecta. Nam multæ conditiones secundum se possibiles, impossibiles sunt ex accidenti, ex lapsu temporis; ut si testator disponat, filius meus heres esto, si ducat uxorem, quod fieri nequit ex suppositione, quòd sit in sacris; & in iure interdum inter possibiles, interdum autem inter impossibiles iuridicè re-

putantur. Nam fidei commissum servo relictum, sub conditione: si ex testamento ad libertatem pervenerit, declaratur nullum, si servus jam antè manumissus est, seu ad libertatem pervenit. L. 58. ff. de s. condit. indebit. econtra valet hereditas Titio ex testamento relicta sub conditione, si filia testatoris adhuc vivat, esto nullam unquam habuerit. L. 45. ff. de hered. instit. & tamen in utroque casu conditio secundum se possibilis, solum impossibilis est ex accidenti.

In hac ambiguitate videtur respon. 911. dendum cum distinctione: vel enim ex circumstantiis colligi potest, testatorem conditionem non adjecturum, si scivisset eam non amplius evenire posse, & tamen eodem modo fuisse dispositurum? vel non eodem modo dispositurum? in primo, conditio reputanda erit impossibilis, seu non adjecta, nisi sub conditione reflexa, ut diximus supra; in secundo autem casualis & possibilis, cui voluntatem simpliciter alligare voluerit; & ideo in L. 58. fidei commissum servo relictum non valet, quia factis ex ipsis verbis colligitur, quod ei non reliquisset fidei commissum (si ex testamento liber fuerit) si scivisset, jam aliunde liberum esse; in L. autem 45. non curatà conditione eodem modo fuisse dispositurum. Ubi verò neutrum colligi potest, in favorem ultimæ voluntatis iudicandum erit, quòd solum ineffaciter illam adjecterit, consequenter, non curandam. Eo ideo tunc idem dicendum venit de conditione impossibili factò, vel ex accidenti, aut lapsu temporis. Quæ enim alios contractus vitiant, in his dispositionibus habentur pro non adjectis ex dictis; sed conditiones impossibiles etiam factò, vel ex accidenti, aut lapsu temporis, alios contractus vitiant; ex num. 888. ergo; accedit clara dispositio L. Marcia, de qua in superioribus.

§. 2.

Quid in ultimis voluntatibus operentur conditiones impossibiles iure?

Seu, quod idem est, conditiones 912. turpes? Resp. conditiones turpes ultimis voluntatibus appositæ haberi pro non adje-

adjectis de jure positivo, quando dubium est, quo animo sint adjectæ? Ratio hujus fumitur ex dictis à num. 823. Videtur tamen ea generalis regula limitanda in casu, quo filius instituitur sub conditione potestativa turpi, propter dicta num. 848. Ulterius tamen Quæstio est, 1. an, cum dicimus, conditiones turpes ab ultimis voluntatibus rejici, inter eas etiam numerari debeant, quæ secundum se possibiles, & honestæ; ex parte tamen recipientis inhonestæ sunt? Nam ex se honestum est, dare pecuniam, ne quis legem violet, ne occidat injustè &c. qui tamen ut hæc non faciat, seu conditionem impleat, pecuniam recipit, turpiter agit, juxta dicta n. 850. Nam ex his pactis (*promitto tibi centum, si hodie neminem injustè ledas, si nulli famam detrahas*) nulla nascitur obligatio, & solum repeti potest, juxta. L. 2. ff. de condit. ob turpem causam, ibi: *In qua specie Julianus scribit, si tibi dedero, ne hominem occidas, condici posse.*

913. Resp. illas solas conditiones turpes haberi pro non adjectis, quas nec Testator honestè petere, nec hæres, vel legatarius honestè implere potest. Ratio est, quia si etiam forent aliæ, essent maximè illæ, quæ turpitudinem continent ex parte recipientis, licet à testatore licitè peti, & ab altero licitè impleri possint, v. g. *dabo centum, si hodie non blasphemaveris*; at hæc non sunt habendæ pro non adjectis; alias valeret hæredis institutio, si concubinam rejecerit; licet conditionem non impleat; similiter valeret matrimonium sub conditione, *si non forniceris*, esto conditionis impletio non fiat; sic enim haberentur pro non adjectis, si juridicè turpes essent.

914. Præterea Not. institutionem sub conditione turpi puram esse respectu instituti, licet ei adjectum sit, ut alius Titio instituto cohæres sit, si Titius conditionem non impleverit; nam in favorem gravati habetur pro non adjecta, ex §. fin. Instit. de Legatis, ibi: *exceptis videlicet illis, quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut aliàs probrosa.* Talis conditio videtur institutio, quæ parentes, qui liberos in portione æquali instituunt sub conditione, *si Religionem non amplectantur*, sic, ut si ingrediantur Religionem, contenti sint

legitimâ. Cùm non modo repugnet modum honestati, & paternæ pietati, liberos, DEI servitium, vocante DEO, eligentes in ultima voluntate postponere eligentibus servitium mundi; & sic majus illucium ad vitam periculis plenam statuere, quàm pro DEI cultu, & securiore salute; sed etiam *divine vocationi*, à qua complures hæc viâ, saltem indirectè, abstrahuntur, magno communiter ejusmodi animarum in sæculo periculo, & detrimeto neglectæ vocationis, atque adeo ne post habitâ suæ salutis viâ, in æternam damnationem ruant. V. tamen dicenda à num. 927.

§. 3.

Quid in ultimis voluntatibus operetur dies adjectus?

In dispositione per ultimam voluntatem in diem certum (nempe certò futurum aliquando, licet ignoretur, quando?) dies statim cedit & venit, secunda disponentis morte, ex regula generali, num. 880. in casu autem quo dispositio voluntatis ultima nec diem, nec conditionem habet, dies non cedit, nisi aditâ hæreditate. L. omnia. 32. ff. de Legat. 2. ibi: *omnia quæ testamentis, sine die vel conditione, adscribuntur, ex die aditæ hæreditatis præsentur, ubi Gloss. lit. E. ante igitur non debentur legata, nec præstantur.* Ratio esse videtur, quia testator in jacente (consequenter nondum aditâ) hæreditate adhuc vivere censetur. Dixi, in diem certum. Nam dispositio in diem incertum (nempe an aliquando futurus sit) conditionalis est, non in diem, ut diximus n. 879.

Quæstio est, an acceptata promissio in diem mortis, sit dispositio in diem? Resp. si dies mortis simpliciter apponatur, sine alia circumstantia, esse dispositionem in diem, quia tunc est in diem certum, & colligitur ex L. Heres meus. 29. ff. de condit. & demonstrat. ibi: *Heres meus, cum morietur Titius, centum ei dato: purum legatum est, quia non conditione, sed morâ suspenditur: non potest enim conditio non evenire.* Ex quo vides, quòd licet in certis sit dies mortis incertitudine, an sit aliquando futurus? aliquando enim aliquem diem mortis Titii venturum, certum est, cum dispo-

dispositio simpliciter censeatur in diem mortis Titii.

917. Dices L. 1. ff. eodem dicitur: dies autem incertus est, cum ita scribitur: hæres meus, cum morietur, 10. dato; ergo legatum in diem mortis est in diem incertum; ergo non habet vim dispositionis in diem; pat. conseq. quia, si esset in diem, Titius hæredi præmortuus, jus quæsitum ex dispositione in diem, transmitteret ad suos hæredes, quod dici non potest, cum in cit. L. statim subjungatur: nam diem incertum mors habet ejus; Et ideo si Legatarius ante discesserit, ad hæredem ejus legatum non transit; quia non cessit dies vivo eo, quamvis certum fuerit moriturum hæredem.

918. Pro resolutione not. si legatarius decedat ante Legantem, legatarium jus à morte legantis, legatum cateroquin obtenturum, non transmittit ad hæredes suos; quia nemo potest jus aliquod transmittit ad alium per ultimam voluntatem, vel alio modo, antequam ipse illud habeat; antequam autem dies legati cedat, Legatarius jus legati nondum habet, ut patet ex terminis; nam ex ipsis legibus apparet discrimen; quia in L. 79. de qua supra, dies est, mors Titii, quæ certò ventura est; in L. 1. de qua in obligatione, dies est mors hæredis vivo alitero, quæ non est certò futura: aliàs enim in prima non diceret purum esse legatum; nec in secunda, quòd mors ejus, nempe hæredis, diem incertum habeat, nimirum, incertitudine aliquando futuri, nisi in primo dies esset dies mortis simpliciter; in 2. dies mortis vivo Legatario.

919. Not. 2. hoc ipso, quòd Legatario, dum viveret, dies non cessit, si vivere desit ante legantem, rectè colligi, legatum illi factum non fuisse in diem certum. Nam ubi est contractus in diem celebratus, dies statim cedit, ex n. 880. Not. 3. legatum in diem incertum incertitudine diei etiam indeterminatè (quando scilicet incertum est, aliquando talis dies eventurus sit) non esse legatum in diem, sed potius sub conditione, si talis dies fuerit; ut dictum est supr. Not. 4. legatum ab hærede, ubi mortuus ipse fuerit, voluntate Testatoris præstandum Titio, esse legatum in diem incertum, incertitudine etiam in-

determinatè diei, seu incertitudine diei aliquando eventuri, adeoque non legatum purum, sed conditionale, si Titius hæredi gravato supervivat, aliàs non, esto Titius mortuus esset ante hæredem gravatum; dies eo vivo cessisset, contra apertam L. 1. n. 917. his positis:

Resp. in casu objecto n. 917. diem esse incertum incertitudine diei etiam indeterminatè futuri, seu, an unquam eveniet; quòd enim Titius supervivet hæredi gravato, aut hic illi? omninò incertum est, igitur dist. 1. conseq. ergo legatum in diem mortis est in diem incertum, vel cum incertitudine, vel cum certitudine, diem mortis, in quem dispositio confertur, aliquando venturum C. semper in diem incertum cum incertitudine diem, in quem dispositio confertur, aliquando futurum N. conseq. dist. etiam 2. conseq. ergo non habet vim dispositionis in diem, quando dies appositus est incertus, an aliquando ille dies venturus sit, C. si tamen est certus, quòd aliquando ille dies venturus sit, N. 2. conseq. Ad prob. illud legatum fuisse incertum cum incertitudine, an aliquando venturus sit, quòd hæres morietur vivo legatario seu Titio; diès autem, in quem dispositio legati Titio facti confertur, est dies mortis hæredis vivo Titio, qui forte nunquam eveniet, ut dictum est.

921. Ex hoc colliges ulterius, quando contrahitur in diem etiam certum v. g. ad festum S. Xaverii) si fiat super re, quæ non transit ad hæredes (ut est, usus fructus, & ea, quæ cum persona extinguuntur) contractum esse conditionalem, non in diem; quia licet dies sit certò futurus, non est tamen certò futurus vivo promissario, quòd tamen requiritur, vel ex usu fructus, vel re non transeunte ad hæredes, dies legati, vel promissi cedat, quòd necessariò fieret, si contractus esset purus, atque aded in diem; de quo v. L. 1. §. fin. ff. quando dies usus fructus legati cedat. Et ideo nec promissario prius quidquam debetur, ante festum S. Xaverii; nec hæredibus ejus, si ante illud festum deceffit, ut diximus in præmissis.

✽(O)✽

ARTI.

ARTICULUS III.

Quando conditio censeatur impleta?

922. Potissima difficultas est de conditione suspensiva, eaque potestativa, vel casuali. Unde 1. quaestio est, an conditio censeatur impleta, licet non eveniat, si is, qui eam apposuit, illius eventum impedit? Resp. affirmative; habetur expressè in *L. jure civili. ff. de condit. & demonstrat.* ubi agitur de illo impediendo conditionis eventum, *cujus interest, eam adimpleri; & L. in executione 85. §. ult. ff. de V. O. ibi: quicumque sub conditione obligatus, curavit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur.* Verum hoc limitandum est, ut procedat in conditionata dispositione gratuita; non autem onerosa, quae est in potestate apponentis; habetur in *L. In jure. 122. ff. de Reg. juris. ibi: qui non facit; ubi Gloss. lit. O. In fraudem alterius quis facit, qui id non facit, quod in ejus utilitatem, & commodum facere debet; & Ita non facere, est facere.* Hoc ipsum tamen sublimitandum est (ut conditio potestativa in gratuitis censeatur impleta, si per eum, in cujus potestate est, impediatur) ut non procedat, si conditio talis naturae sit, ut sit jure impedibilis, ut: *promitto centum, si mentitus fuero.* Hinc juxta datum supra responsum, si conditio sit mixta; & facto testatoris deficiat, habetur pro impleta. Quare si quis Ecclesiae leget censum annuum, *si in ea sepeliatur;* & Testator in excommunicatione decedens, ob hoc ibi sepeliri non possit, conditio pro impleta habetur, & legatum purum est; ita Sylvest. *V. Legatum. 1. q. 4. §. 6. Rosella. V. Legare. num. 3. & alii.* Est enim dispositio simpliciter gratuita, non tantum in favorem Ecclesiae, sed etiam disponentis.

923. Resp. 2. in his, quae proveniunt ex ultima voluntate, conditionem haberi pro impleta, si per eum, à quo praestanda foret, non sit illam impleri. Nam in his locum habet regula juris *41. in 6. imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum;* quod verum est, licet impediatur, impedimento per culpam, non ordinatam ad impediendum inducto; sic Barbof. *in cit. Reg. 41. & colligitur ex Gloss. in c. fin. de electione*

c. quia diversitatem, de Concess. prebend. Accedit regula 66. eodem, ibi: cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset. Unde in casu, quo iustus cum aliqua contrahere, sub poena amissionis legati, vel hereditatis, conditione deficiente non ex parte gravati, sed alterius, cum quo contrahendum erat matrimonium, non contrahit, conditio nihilominus habetur pro impleta, prout sequitur ex dictis, & habetur *L. 1. C. de instit. L. in testam. L. 2. ff. de condit. & demonstrat.*

Resp. 3. idem in dubio dicendum in aliis contractibus, & dispositionibus, sed *merè gratuitis;* Nam, ut rectè notat Castropalaus *d. 1. de spons. p. 24. n. 9.* ea regula *41. & 66.* solum procedit, ubi jus benignè voluntatem concedentis interpretatur (ut in promissione libertatis, legatis, testamentis, institutionibus) nec velit donatione privare illum, sine cujus culpa conditio requisita non ponitur; quod extendi non debet ad contractus onerosos, qualis est v. g. Sponsalium &c. Excipe contractus irrevocabiles. Nam in eis nihil proderit, cujusculque culpa conditio impleta non sit. *L. 1. C. de instit. & substit. ita Sanchez lib. 1. de matr. d. 33. n. 21.* dicitur autem *non stare per eum,* conditionem impleri, à quo implenda foret, quando contingit eum impedi citra suam culpam, eo sine datam, ut sequatur impedimentum, ut dictum est n. precedenti.

Resp. 4. quando conditio est mixta (Titius heres sit, si duxerit Cajam, quam licitè ducere potest, & neutrius culpa, sed casu deficiat: ut si unus eorum praemortatur) secundum aliquos perire legatum, vel institutionem; ut dicitur in *L. Legatum. C. de condit. insert. ibi: cum mortuo filio prius, quam matrimonium cum eo contraheres, conditio defecerit, nullà ratione tibi deberi existimes;* excipe tamen 1. nisi legatum habeat vicem alimentorum, vel dotis; 2. nisi contineat favorem libertatis; 3. causae piae; 4. nisi saltem ex parte impleta sit; 5. nisi sit in primogeniis; 6. nisi non habeat rationem conditionis, sed modi; de quibus videri potest

potest Sanchez cit. à n. 25. Contrarium tamen aperte constitutum videtur in *L. 1. C. de Insti. & Substit.* ubi manifestum esse dicitur, heredem, institutam filiam, sub conditione: *si Antylli filio nupserit*, non prius heredem existere, quam conditioni paruerit, aut Antylli filio recusante, matrimonium impeditum fuerit. & *L. 11. ff. de Condit. instit.* item, *L. 23. eod.* Unde leges in contrarium procedunt, in casu quo conditio ex mora prius non impleta est.

926. Resp. 5. si contingat, conditionem appositam dispositioni, vel contractui impediri, non ab ipsius disponentibus, vel contrahentibus, sed ab alio tertio, conditionem non haberi pro impleta. Nam in hoc casu, nec presumi potest ejus remissio ex parte apponentis, ut diximus supr. nec ex parte juris sic disponentis, quod solum fiver gravato, quando conditionem sibi impositam implere volens, sine sua culpa, ad inducendum impedimentum principaliter data, impeditur, nam in hoc casu, locus est regulis, de quibus n. 923.

Excipiuntur tamen aliqui casus quoad ultimas voluntates. 1. si conditio consequendis legatis imposita impediatur à tertio, qui non est solvendo, etsi Legatarius agat actione ad interesse contra impediendum. 2. si legata sint majora; quia tunc censetur legatis voluisse illam habere pro impleta. 3. si iustè a ius impediatur, quia tunc deficit obligatio ad interesse, quæ cæteròquin est impedito loco compensationis damni ex impedimento. 4. si impediatur à tertio, cujus consensus requireretur. Tunc enim perinde est, ac si impediretur ab eo, in cujus persona conditio debet impleri. ita Sanchez. cit. l. 1. hic d. 33. n. 27.

927. Illud hic not. potissimam difficultatem esse in resolvenda questione: *an hæc, vel illa conditio juridicè impossibilis vel turpis sit? atque adeo suscipienda, vel rejicienda?* Sanchez. lib. 1. hic d. 33. & 34. super hac materia plurima tractat; inter alia n. 14. quærit, an, quando alicui minus legatur, sub conditione: *si religionem ingrediatur*; plus, *si maneat in seculo*, & minus, conditione secundà non impleta,

Tom. IV.

sed religione electà, sustineatur dispositio quoad minus, negato eo, quod habuisset, seculo electo? & respondit sustineri, si non adjiciat conditionem illam, eo sine, ut à religionis proposito averrat (nam hoc sine illam adjicere, expressè ait, *impium esse*, quod à fortiori procedit, si nollet illum plus habere in casu religionis electæ, licet vocetur à DEO) sed, ut manentibus in seculo, tanquam plus in eo statu egentibus magis prospiciat. Quod verum censeo, si reverà sic res habeat, & finis justus sit.

Pauca adhuc quæri possunt, & 1. an 928. vitietur Legatum ex conditione secundum se possibili. & honesta sed in fraudem legis adjecta? Resp. non vitari, sed haberi tunc pro non adjecta; constat ex *L. 7. ff. de Condit. & demonstr.* ibi: *placet remitti eis conditionem, quia ad fraudem legum respiciunt.* Quæri potest 2. quid operetur conditio negativè adjecta v. g. *si non nupserit*? Resp. non esse expectandum, conditionis eventum, sed legatum statim tradendum, acceptà cautione fidejussorià, quod, si contra conditionem venerit, restituet iis, quibus alioquin obvenisset. *L. 7. de Condit. & demonstr.* intellige tamen, si alius cæteròquin hæres sit, cui cavendum sit; aliàs evanescit conditio tanquam impossibilis; sic Haunold. tom. 2. de Just. tr. 6. n. 351.

Quæri potest 3. an conditiones, quas 929. rejicit ius à legatis, rejiciantur etiam in foro interno, seu conscientie, licet constet de contraria voluntate testatoris, sic, ut legatarius, eà conditione non servatà nihilominus salvà conscientia, legatum capiat, ac retineat? Negativam sequitur Menoch. lib. de presumpt. q. 88. & alii, quia leges procedunt ex presumptionibus, quæ cedunt veritati, cum de illa constat; affirmativam tamen sequitur Sylv. V. hereditas. 4. Angelus Tabiena, Armilla, & alii, quos citat, & sequitur Sanchez cit. lib. 1. d. 33. n. 2. quia ubi lex non est pœnalis, nec innititur falsæ præsumptioni; sed est dispositiva, etiam contra certam testatoris voluntatem, id exigente bono communi (cujusmodi est lex annullans professionem religiosam, ante ætatem jure præscriptam) in utroq;

Hh

fore

foro servandum est, quod disponit: leges autem rejicientes ab ultimis voluntatibus certas condiciones nituntur exigentia boni communis, nec pœnales sunt, & disponunt rejiciendas causâ boni communis; ergo.

930. Quæri potest. 4. an substitutio locum habeat, quando quis gravatus sub conditione (ut si decedat sine liberis legitimis, hereditatem cedat alteri) religionem ingreditur? seu an ea substitutio purificetur morte civili ipsius instituti religionem ingressi? Resp. Non paucos, qui non rectè distinguunt inter jus, & jus, in affirmativam prouere, ex illo generali: *Mortuus civiliter mortuus est*; civiliter autem mortuus perinde se ad effectus juris habet, ac mortuus naturaliter.

931. Verùm, si, ut certum est, attendamus, quòd fictio juris non operetur, nisi in casibus, ad quos ea juris dispositione porrigitur, clarè apparebit, plura per ejusmodi Procuratores ex illo principio indiscriminatim inferri pro certis casibus, quæ nullo jure sustineri possunt. Nam ex illo principio: *Religiosus est civiliter mortuus*; quidam ineptè inferebat: ergo *Scholasticus Societatis non habet legitimam personam standi in judicio nomine suo*; quia id non potest *Religiosus*, cum sit civiliter mortuus; ineptè, inquam, inferebat. Nam *mors civilis* dispositione juris solum porrigitur ad eos, qui non habent proprium, seu dominium rerum temporalium in sua persona particulari, id, quod fallit in Scholasticis Societatis, prout certum est ex constit. Greg. XIII. & pluribus exposuimus l. 2. tit. 1. de *Judiciis*.

932. Ad quæstionem in n. 930. Resp. in eo casu non esse locum substitutioni sub dictâ conditione, quàm diu gravatus naturaliter vivit. Nam fictio *mortis* jure non porrigitur ad hunc casum. Quando enim sumus in materia conditionali, *mortis* appellatione venit tantum *mors naturalis*, non *Civilis*. Condicio enim in hoc verificari debet in casu vero, non ficto, *L. qui heredi, §. Mœvius ff. de condit. & demonstr.* mors autem civilis, est mors ficta & non vera. *L. 1. §. fin. ff. de bonorum posses. contra tabul.* Et ideo substitutus in casu mortis non admittitur per mortem civilem in-

stituti; ita *Surdus const. 90. per totum* & alii.

Quæri potest. 5. an, si quid disponatur sub conditione alteri onerosâ (v. g. ut *toties pendatur Laudemium Domino directo*, quoties illius rei alienatio contingit, præsertim, si sit grave (ut evenit in multis provinciis) an, inquam, requiratur conditionem verificari in sensu proprio & strictè sumpto? Resp. si dispositio pœnalis est, vel odiosa, & exorbitans à jure communi, vel restringens nativam libertatem hominum, non videri dubium, strictè accipiendam, juxta *Reg. Odiâ, de Reg. juris in 6.* nam ut rectè dicitur *L. 3. de jure Emphyt.* ubi quantitas Laudemii præscripta, avaritia (seu cupiditas habendi) multis laxat viam, in ejusmodi casu, latissimè accipiendi verbum *alienatio*, seu *mutatio* (*Veränderung*) ut Laudemium inde frequentius accipiant contra legem, & Legislatorum intentionem, magnâ subditorum oppressione, sanè iniqua; de quo casu plura dedit in *Tract. Theol. de jure & justitiâ à n. 129.*

ARTICULUS ULTIMUS.

De reliquis, ad hunc titulum pertinentibus.

Cùm in *c. 1. b. t.* dicitur, quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam postea relinquere voluerit, dicimus quòd conditio *frangatur*, & dispensatio irrefragabiliter teneat; seu, ut exprimit Gonzalez *ibid. n. 2.* quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam relinquere velit, insuper habitâ conditione, matrimonium subsistit, exinde nasci difficultatem, quomodo ante conditionis eventum contrahentibus non liceat resiliire; sed matrimonium potius, impleta conditione, irrefragabiliter tenere. Nam, quod *pendet, non est*: ut dicitur *L. Is damnatum 169. §. 1. ff. de regul. jur.* ex hoc enim est, quod dicitur, *conditionalia nihil ponunt in esse.* Unde in nuptiis sub conditione celebratis, pendente conditione, nihil actum videtur, & quidem sic, ut nec impedimentum justitiæ publicæ in-

933. *et incurrat. c. unic. S. fin. de despons. impub. in. 6.*

935. Varias huic textui interpretationes adhibent Doctores; nam aliqui notant, ibi conditionem sumi, ut sit idem, ac modus, qui non suspendit; alii, textum loqui de conditione turpi, quæ rejicitur, & consensum seu desponsationem facit puram: alii demum, ibi sermonem esse de conditione *initiativa*, per quam intelligunt eam, quæ per sui existentiam dat initium actui, qualis est, contraho tecum, si te obliges ad hoc, v. g. dandam dotem in tali quantitate. Nam si ea ster, ac subsistat, conditio frangitur, hoc est, non finit actum pendentem, & matrimonium irrefragabiliter tenet; si autem non, *resolutiva* erit, hoc est, resolvet actum, & causam præcedentem reducit ad non causam, seu ut consensus nihil operetur.

936. Præter hæc not. 1. cum in *c. Cum sit. 2. b. 1.* dicitur, quod quidam Diaconus duo juris sui mancipia manumiserit sub hac conditione, *ut Monachi fierent, ac in eodem Monasterio, in quo ipse, permanerent*; secus, *ad servitutis jugum redirent*; cum autem eorum unus deserto monasterio se inter Clericos sociasset, Chrysostomus Episcopus Spoletanus Gregorium Papam consuluit, quid in hoc sit agendum? 1. quia libertas est quid temporale; ingressus religionis, spirituale; unde videtur manumissio simoniaca. 2. quia libertas non potest dari ad tempus, nec sub conditione resolutoria, ut, *si hoc fecerit, sit liber; si non? iterum sit servus. L. Mortu. 15. ff. de Manumiss.*

Ad hoc respondit Pontifex, ut Episcopus, si rem ita reperit, in eam se exhibeat, *ut nec illi monasterium deserendi facultas sit; & manumittentis voluntas conservata aliqua præteriri excusatione non valeat.* Pro cujus intelligentiâ not. servum posse manumitti sub conditione, vel modo, *ut monachus fiat*, ut notat Abbas hic n. 2. nec exinde simoniam sequi; tum quia Pontifex in dato casu non vult aliquam excusationem manumittentis voluntatem præteriri; tum quia talis manumissio non datur in compensationem ingressus; sed potius, ut removeatur ejus obex; quia servus debet prius manumitti, ut in monasterium admittatur, vitamque monasticam profiteatur, per *L. Jubemus 37. & 38. C. de Episc. & Cleric.*

938. Not. 2. quando dicitur, servum non posse manumitti ad tempus, intelligendum de manumissione purâ; non conditionatâ; aliâs in defectu conditionis non impletæ Pontifex non jussisset voluntatem domini non præteriri, ut, si professione nondum emissâ Monasterium desereret, in servitutem recidat. Alterum autem quod dicitur, non posse manumissionem fieri sub conditione resolutoria, ex eodem textu negatur spectato Jure Canonico. Et ex hoc patet, quomodo nec ei sit facultas Monasterium deserendi, & se inter Clericos sociandi, post professionem; nec domini voluntas prætereunda, si recessit à Monasterio, ante professionem.

